

Deus. 2 et 90.

Precatio ad Deum.

amuletum contra pestem. p. 70.

Iris. 129. Lilium celeste

AD DEUM.

ἓν τὸ πᾶν ἕν
Platonis

Una ars.
Mortalexeria. 90 et 91.

Foi de pistoles en ce temps

Fide avaricorum non pervenitur ad caelum. 209. et 210.

EMBLEMATA ET EPIGRAMMATA MISCELLANEA SELECTA EX STROMATIS Peripateticis

ANTONII FAYI.



~~GENEVÆ,~~
Apud Petrum & Iacobum Chouët.

CIↃ. IↃC. X.



ANTIQVA NOBILITATE, PIETATE ET DOCTRINA insigni D. Thomæ Vvhartono, nobilissimi D. Baronis Vvhartoni filio.



SPLENDIDISSIMVS *est sol, Nobilissime vir, D. Thoma Vvhartone: sed sole splendidior virtus. Illum cæci videre nequeunt: hanc omneis etiam sine oculis agnoscunt & laudant. Ac sanè tanti est, vt si omnia, quæ vocantur externa, in vna lance ponerentur, (quod Critolaum quondam dixisse ferunt) virtus in altera: hæc sola reliquis præponderaret omnibus. De vera loquor, quæ à leuium*

hominum opinione vmbratili non pendet: sed solido syncerae pietatis fundamento firmata, & bonae conscientiae testimonio fulta, verum & non vmbratile bonum persequens, caetera tanquam somnia despicit. Illa enim talis est, vt eos in quibus inest, etiam incognitos, charos reddat. Hoc *ipse experiris, Vir Nobilissime, qui clarus familiâ, antiquitate, splendore rerũ gestarum & opibus illustri, tuâ virtute non minùs illustris & commendabilis existis. Quare cùm primùm te vidi, pietatem, modestiam, comitatem & doctrinam in te animaduerti talem, vt ad te colẽdum & obseruandum non leuiter me tactum senserim. Ob ídque eodem temporis puncto gratias maximas egi eximio viro D. Ioanni, praestantissimi viri D. Petri Iunij, Equitis aurati, Regiae maiestati faelicissimè quondam à studiis, nunc autem in Regno Scotiae à consiliis & eleemosynis, filio, tali patre digno: cuius operâ mihi ad illustrem tuam dignitatem aditus patuit.* Narrabat *ille,*

quanto

quanto cum plausu bonorum & doctorum omnium in amplissimo & florentissimo Cantabrigiensis Academiæ theatro es exceptus, quámque honorifico doctrinæ singularis testimonio es ornatus, & Palladia laurea publicè donatus: atque adeo nobilitati Britannicæ, quæ tum ibi frequentissima aderat, velut exemplar ad imitandum propositus: vt honorifica æmulatione tuæ claritatis accensa, τριώτλω *sibi ex triplici pietatis, nobilitatis & eruditionis torque pararet. Sunt enim hæc Christiana ornamēta, bullis omnibus aureis & gemmeis, quas antiquæ vrbis Romanæ instituto Patritij collo innectere solebant, insignia longè cōmendabiliora. Fuit non leuis ille stimulus ad excitādas dotes eximias, quas Deus in te sitas esse voluit. Sed nec alij desunt, quibus ad cursum incæptum fœliciter & non segniter perficiendum: licèt per te curras, incitêris.*

Est indoles ad vnguem à naturâ facta. Est sapientia disciplináque domestica parentis il-

lustrissimi. Est D. B*aronis V vittoni Leuiri tui, à consiliis regiis prudentissimi, nobilitate suâ, rerum magnarum cognitione, multarum linguarum peregrinarũ peritia clarissimi, laus florentissima. Est* D. *Henrici V vittoni viri amplissimi, doctissimi & experientissimi, apud illustrissimos V enetos* Legati *regij, te quasi voce vocantis singularis erga te voluntas. Quid enim cæteros commemorem, tui per totam* Bri*tanniam studiosissimos, nihil mediocre, sed omnia maxima à te expectantes?* Bene *ominari ac precari satius est, vt omnium illorum spes non modò explere, sed etiam superare possis. Cùm autem non casu, verùm præeunte* Deo, *hâc in* I*taliam iter habueris iens rediénsque, morámque aliquot mensium nobiscum traxeris, pro ea necessitudine quam inter nos intercedere voluisti, ausus sum hac occasione vti, vt tertiùm in* Britanniam *magnam, sed sine naue, traijcerem: hoc est,* EMBLEMATA *&* EPIGRAMMATA *hæc, qualiacunque*

sint

sint, tibi donarẽ, dicarem. Munus est Leuidẽsæ crasso filo factum, si me meáque consideres. Sin spectes res à me aliunde mutuò sumptas, & velut in lancem Satyram promiscuè congestas, oculis tuis fortasse non indignum. Illud ita tibi gratum & acceptum sit exopto, vt non displiceat vlli eorum, quos habet bonos & doctos innumerabiles Britãnia magna. Fœlix, si sua bona norit: fœlicior, si iisdem bene vtatur notis: fœlicissima, si eadem perpetuò ad finem vsque Deo *bene fauente retineat & conseruet.* Habet *illa* φιλοσόφους, *in omni genere* πολιτείας *dextros & peritos gubernatores, propè infinitos. Sed præ omnibus & supra omneis eximium* θεόσοφον *Regem serenissimum, potentissimum & doctissimum,* ῥητῆρα λόγων, πρηκτῆρα τε ἔργων. *Illi à supremo Regum rege fausta omnia ardentissimis votis precamur omnes, qui hîc sumus pij. Omnibus ipsius Maiestati subditis populis sanctam & constantem in vera pietate Euangelica con-*

cordiam: tibíque, vir nobilissime, secundùm Deum, Regis Optimi gratiam & voluntatem omniúmque magnæ Britanniæ ordinum studia ex animo optamus. Vale in Domino. Qui tibi in hac peregrinatione, à te per Gallias & Germanias suscepta, sit dux & lux, per Iesum Christum D.N. Amen. Geneuæ Calend. Martijs An. CIƆ. IƆC.X.

Tuæ Nobilitati Amplissimæ
deditissimus ANTONIVS
FAYVS.

IDEM



IDEM EIDEM NOBILISSIMO D. THOMÆ VVARTHONO.

Paruum, nec lepidum, nec expolitum,
Do donóque libens volens libellum,
Vvarthoni tibi: quem facit coruscum
Virtus & pietas bonæque Musæ,
Adiuncto Charitum choro decentum.
Hunc si fronte legas benignus illâ,
Quâ nulli grauis, omnibúsque gratus,
Phœbo digna loquens, plagæ Britannæ
Charus Palladiis viris bonísque es:
O natum bene tunc meum libellum,
Musarum & Charitum sinu receptum!
Nam paruus licèt is nec expolitus:
Contendet tamen is libris libellus
Multis nec breuibus nec impolitis.



LECTORI CANDIDO S.

***



PRISCVM nomen, institutúmque nobile Peripateticorum mihi semper, vt plerisque omnibus eruditis, mirum in modum placuit. Solebant illi in spatiis Lycęi ita se exercere, vt ambulando suorum ingenia ad inuestigandas tenendásque veri vias stimularent & acuerent. Quanquam enim animus sedendo sapientior fiat: euenit tamen nescio quo modo, vt moderatus calor, à mediocri agitatione corporis excitatus, ingenij animíque motus vegetiores faciat & excitet. Propterea cùm defatigati sunt lumbi sedẽdo, oculi legẽdo, aureis audiendo, latera pronuntiãdo: cõtingit vt blãdę exercitationis velut aura respirãtes releuemur, & vt ipsi, vt cum poeta loquar, nobis quodammodo reddamur. Verum enim est illud Fabij: *In syluis & agris & pellucentibus ipsa florum varietate hortulis, animus potiùs remitti, quàm intendi solet.* Hoc plerisque multis literarum studiosis facere mos est: &, vt nihil de aliis dicam, mihi non est prorsus insolens. Sic tamen, vt in loca suburbana me pedes non tantùm ferant: verùm mens secessu quodam ad tempus refe-

cta

ꝺta, non omnino quiescat & cesset; quin potiùs suaui laboris leuioris ac grauioris vicissitudine velut à penso quotidiano exonerata, se oblectet ac recreet. Quod ergo priscos illos Catones, Scipiones, Lęlios, dum ad Lucrinum Caietámque conchas & vmbilicos legerent: &, quando à publicis curis relaxatio dabatur, discincti luderent, aiunt fecisse, aliquo modo, non tamen vsquequaque libuit imitari: nam de intenso studio remittere, ne animus contentione nimia velut arcus frangatur, est persæpe vtile, iucundum & necessarium. Sed calculis & lapillis legendis & iaciendis lucrari horarum aliquot otium, operæpretio non fuit digna occupatio. Longè meliùs Plinius ille, commendatissimus à laudatissima & vtilissima temporis pretiosissimi auaritia. Ille enim, quemadmodum de se ipse scripsit, in venationis delectatione distractus ita ad retia sedebat, vt in proximo esset non venabulũ aut lancea, sed stylus & pugillares: meditaretúrque aliquid atque enotaret, vt, si manus vacuas, plenas tamen ceras, reportaret. Quod quidem in exemplum trahere fructuosius conuenientiúsque non immeritò semper iudicaui. Nam otij reddenda est ratio, perinde ac negotij: & Christianos omneis decet, tanquam sydera, de suo lumine semper aliquid effundere, vt se filios lucis ostendant, ipsique vnâ cum aliis in rerum bonarum cognitione promoueant, gloriamque Dei (cui prouehendæ nati sumus omneis) amplificent. Itaque animo & corpore feriari sic institui nõnunquam, vt interea non darem segnitiei inertiæve locum. Quare ex rerum quæ mihi spatianti se fortè offerebant conspectu, si non plenum quęrere pabulum, at sanè

solatium ac leuamentum quoddam captare consueui: dum cœlum, elementa, multaque illorum circumflexu comprehensa corpora, in naturæ sinu à Deo creata & deposita contemplatus, inde vel mecum solus, vel erecta in sublime cogitatione, non omnino solus iritans, animum nugis non onero, sed rebus non infrugiferis distineo. Nam cùm omnis rerum naturalium inspectio iucunda sit & vtilis: tum demum illa iucundissima & vtilissima est, quando externis sensibus veluti nuntiis excîta mēs, ad res non fluxas & caducas assurgit, & ad easdem degustandas suauiter inuitatur. Ita enim se habent illæ, vt, siue domi te contineas, siue foris degas, siue seorsim tecum, siue cum aliis colloquare, nunquam te à se inanem dimittant. Præclara autem est & amabilis illa concordia, quę cum liberali eruditione pietatem iungit & copulat. Qui verò ambarum diuortium faciunt, & sibi noxij, & aliis graues nō esse non possunt. Etsi autem respicit hic sermo peculiariter eas artes, quæ ex professo præcepta institutáq; ἐλευθεροπαιδείας continent: tamen quicquid à nobis aut in nobis esse potest, ita comparatum esse debet, vt, quanticunque sumus, virtutem ac pietatem profiteamur, loquamur & spiremus. Ex ineuntis ætatis studiis quædam in mentem redeuntia vehementer persæpe delectare solent: sed tunc maximè afficiunt, cùm occasionem subministrant, vt ad pietatis amorem his velut flammulis accendamur. Et quoniam numeris cum animis nostris est maxima consensio & harmonia: poëticis vinculis alligare nostras cogitationes est aliquando non iniucundum. Idque ego facio, non quòd Vatum choro me adscribi quæ-

ram:

ram: quos procul salutare & mirari satis est, si non datur imitari. Scio etiam quid de toto poëtarum genere & arte viri magni senserint & scripserint. Spero tamen bonis & candidis factum nostrum non improbatum iri: qui poesin non tanquam ἔργον, sed tantùm vt πάρεργον sequi solemus. Cauendum enim, ne veteri Græco versu notemur:

" τὸ μὲν πάρεργον ἔργον ὡς ποιούμεθα,
" τὸ δ' ἔργον ὡς πάρεργον ἐκπονούμεθα.

Optimè etiam ex nostris scripsit Bernardus. *Non est gratum Spiritui Sancto quicquid feceris, neglecto eo ad quod vocaris.* Deinde vt Musas ludicras inanésque non amplectamur, sed salutares & vtiles dissuauiemur & colamus: cúmque illis virtutis honestatísque exercitamenta cõnectamus, gratáque vtilium & dulcium cõmixtione, si non magna talenta feramus, vnciolam saltem in cõmune Reipu. literatę & pię ærarium cõportemus. Hîc autem varia sunt ex plerisque φιλολογίας locis petita carmina, prout vltrò, & non longè quæsito argumento, sese res oculis & memoriæ nostræ dedére. Vnde STROMATA, id est, CONTEXTA, vocare libuit, exemplo docti & prisci illius Alexandrini Clemẽtis: qui opus varium & velut tessellatum, vel potiùs aulæum multiplici licio filóque confectum, diuersísque coloribus distinctum & variegatum à se compositum sic nominare voluit. Sunt quædam ex rebus naturalibus, stirpibus, animalibus, syderibus: nonnulla ex morum disciplinâ: quædam ex poëtis, historicis, Theologis: quæ ordine methodóve certa nõ sum persecutus: id enim locus & tempus non poscebat, neque ferebat ratio instituti munerísque nostri ad grauiora nos trahentis. Ad præ-

ſcriptum tamen ſcopum finémque reducere maximâ ex parte omnia ſum conatus. Vt enim centrum circulus ambit, & ad ipſum circulum centri fit accomodata relatio: ſic à Deo, & ad Deum reuocanda omnia ſemper putaui, &, quicunque Chriſtianus eſt, vt exiſtimo, putare debebit. At enim,

Craſſum vnguentum & Sardo cum melle papauer
Offendunt: poterat quia duci cœna ſine iſtis.

dicet aceto Flacciano perfuſus aliquis. Equidem carere iſtis facilè poteſt qui voluerit: quod qui fecerit, nec offendetur, nec offendet. Hoc tamen modo tempus non ingratum tranſmittere viſum eſt, vt illud fallerem fraude non malâ: ſtudiorúmque iuuenilium micas obuias veluti pedibus non obtererem: ſed hinc inde collectas aſſeruarem in vſus, ſi non omnino neceſſarios, at ſane non importunos. Quæ enim iuuenes didicimus, ne mala obliuione ſepeliamus eſt meritò cauendum: ſolétque ea recordatio magnum affectę ætati leuamen adferre. Non equidem vt in eiuſmodi palæſtrâ cum adoleſcentibus brachia iactemus: quos grauiores curæ ad arenæ præſtantioris ſtadium peragendum, æterníque curriculi præmium obtinendum accendere debent & excitare. Sed vt quouis loco & tempore nunquam à diſcendo nos abhorruiſſe teſtificemur. Hunc aceruum ex copioſiore meſſe collectum & ſelectum, amicorumque efflagitationi & quaſi conuitio donatum, libuit auræ publicæ exponere, ne à blattis lucifugis abſumeretur, quod nocere poteſt nulli, prodeſſe fortaſſe quibuſdam. Id vt contingat peto votis omnibus à Deo bonæ donationis omnis

paren-

parente. Tunc enim me operæ non pigebit pœnitebitve, ſi alicui emolumento eſſe mihi donetur tam re quàm exemplo. Vale Lector humaniſſime, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

* * *



NOMINA AVTORVM QVI ALLEGANTVR:

Ambrosius.
Anselmus.
Apuleius.
Aristophanes.
Aristoteles.
Athanasius.
Augustinus.
Sextus Aurelius Victor.
Basilius Magnus.
Bernardus.
Biblia sacra.
Cassianus.
Cato.
Catullus.
Chrysostomus.
Cicero.
Clemens Alexandrinus.
Climacus.
Diadochus.
Dio.
Dioscorides.
Ennius.
Eusebius.
Ezechiel.
Galenus.
Gregorius Romanus.
Herodotus.
Hesiodus.
Hieronymus.
Hippocrates.
Homerus.
Horatius.
Hugo Victorinus.
Ieremias.
Isaias.
Isidorus Pelusiota.
Isychius.
Iustinianus.
Iuuenalis.
Laërtius.
Leonicenus.
Liuius.
Lucanus.
Lucianus.
Lucretius.
Martialis.
Matthiolus.
Nazianzenus.
Oribasius.
Orontius Fineus.
Ouidius.
Plato.
Plautus.
Plinius.
Plutarchus.
I. Pontanus.
Propertius.
Q. Curtius.
Sallustius.
Strabo.
Synesius.
Theophrastus.
Theophylac. Symochatus.
Tertullianus.
Tibullus.
Thucydides.
Tycho Brahe.
Io. Tzetzes.
Varro.
Vegetius.
Velleius Paterculus.
Virgilius.

EM-

EMBLEMATA ET EPIGRAMMATA MISCELLANEA SELECTA EX STROmatis peripateticis

ANTONII FAYI.

Deo O. M.

SOLVS ego non ſum, dum ſolus obambulo: mecum
Es, Deus: & tecum, ſim licèt vmbra, loquor.
Verba loquor, linguâ nil expromente: ſed aures
Pectore non tepido ſollicitante tuas.
Verba loquor, nullis hominum vulganda: ſatiſq; eſt
Dicta fuiſſe mihi, nota fuiſſe tibi.
Ne tamen hæc ſtudio iactata putentur inani,
(Vt mos illorum quos fera bilis agit)
Sunt breuibus quædam chartis commiſſa: negauit
Charus amicorum quas ſepelire chorus.
Omne ferent punctum; non ſi meruiſſe ferantur
Humanos plauſus: ſed placuiſſe tibi.

Lectori pio.

Hæc pede ſtans vno non luſi carmina, ceu quos
Vberis ingenij vena beata rigat.
Sed feſſum releuo corpus dum forſan eundo,
Mens ſpatiis pariter gaudet Apollineis.
Hac totum ſoleo ſic me oblectare palæſtra:

Pars exercitio nec caret vlla suo.
Muscosos circum fontes & olentia prata
Ambulo: nec tum mens desidiosa manet.
Telluris contemplor opes, contemplor & vndæ:
Aërias & iens lumine lustro vias.
Non vulgaris at est cœlum spectare voluptas:
Est vbi fluctiuagæ meta quiésque viæ.
Hinc petitur, toto quo nil pretiosius orbe,
Cognitióque Dei, cognitióque mei.
Hîc se materies offert diuersa, nec vno
Carmina decurrunt perpetuóque pede.
Quod si compta parum quereris, (sunt namque) memento
Vadenti propter flumina, rura, lacus,
Fusa mihi: limæ non est vbi nomen & vsus:
Scribere sed qui vult carmina culta, sedet.
At numeris quod abest, pensatur pondere rerum,
Quas rudis, aut si vis, rustica, musa refert.
Ergo titillantes versus ne quære: sed imis,
(Vtile siquid erit) sensibus illud habe.

Eidem.

Quis leget hæc? Nemo. Curnã? quia sanna, petulcus
Quæsitus multis & iocus, omnis abest.
Si tamen est aliquis, qui præferat vtile sannis,
Qui leget hęc, vnus fortè vel alter erit.
Quod si nemo legat: tamen haud scripsisse pigebit:
Nam, quæ nemo legit, carpere nemo solet.

Omnia ab vno, & Omnia ad vnum.

Ex vno numerus proficiscitur omnis: ad vnum
Conuersus rediens quilibet est numerus.
A te principium: tibi desinat omne quod vsquã est,
Cun-

Deus α et ω.
Infrà 90

Cunctorum finis principiúmque, Deus.

Polypus piscis. Inutiles poetæ.

Mellifluos ecquid laudásque legísque poëtas,
Qui numeris & non vtilitate placent?
Hoc gulo polypodis commendat more saporem,
Qui non ingratus fertur in ore cibus.
Missus at in ventrẽ conturbat viscera, fitque
Et capiti & menti noxa vapore grauis.

Orpheus. Doctis placere.

Auritas fidibus quercus duxisse canoris
Orpheus, interpres dicitur ille Deûm.
Magna quidem laus hæc: sed plenior illa fuisset:
Prudenti doctos ducere voce viros.

Amicitia vtendum non vt floribus, sed vt vino.

Flos plerumque recens placet aspicientibus: idem
Arescens, vlli vix bene gratus erit.
Peccat, amicitiâ qui vult, ceu floribus, vti:
Antiquo similis sit magis illa mero.
Dant anni laudem vino: laudatur amicus,
Constantem monstrat quem diuturna fides.

παράδοξον, Fœlix qui sua mala norit.

Fœlix, vulgus ait, sua qui bona norit: at ille
Mi non infœlix, cui mala nosse datur.
Cur verò? sua qui nouit peccata, gemitque
Agnoscens, fiet proximus ille Deo.

Hominum infinitæ species. Oppositum Geographiæ Orontij Finei, ad cordis humani effigiem expressæ.

Vno dum tentas Mundum concludere corde,

Ecquid adeſt cordis, Finee docte, tibi?
Vni da potius mundo variantia corda:
Quæ numero careant, ordine, ſede, modo.

Sol in ſummo tardius mouetur:
Moderatum imperium: ex Plutarcho.

Supremum quando tangit Sol igneus orbem:
Currentes celeri tum pede frænat equos.
Si tibi, Rex, apicem donetur tangere ſummum:
Sis memor imperiis vt moderêre tuis.

Planta Heliotropiæ. Chriſtum ſequi.

Eſt-ne etiam ſenſus plantis? Id priſca Platonis
Vox ipſis rebus teſtificata docet.
Sunt, quæ perpetuò ſolem comitantur euntem,
Dum fugit aut repetit gnarus vtramque domum.
Stat Sol? ſtant. Seſe pandit? panduntur & ipſæ.
Conditur hic? condunt ſéque decúſque ſuum.
Quàm vellem mihi mens hoc eſſet prædita ſenſu!
Et te, Chriſte, ſalus, ſol, via, vita, ſequi.

Vni Deo cognita eſt cauſa ἀντιπαθείας rerum.

Sunt etiam plantis lethalia prælia. Rides?
Atqui nota filix hoc & arundo docet.
Si circum filicem læuis conſurgat arundo,
Haud dubius filicem ſtrangulat interitus.
Aſt alata filix ſi læuis arundinis haſtas
Obſepit, dabitur læuis arundo neci.
Has inimicitias cum cauſis dixero, quando
Reſciero, galli cur leo voce tremat.

Caſtitati ſtudendum.

Sint procul erucæ, menthæ, bulbíque ſalaces,

Quic-

Quicquid & à Satyris nomen & omen habet.
Languentes Veneris ſtimulant hæc gramina flãmas:
Quas nullus viuas, qui ſapit, eſſe cupit.
Ruta ſit hîc, caſto vitex & nomine clarus:
Et reliquæ, quibus eſt torpida facta Venus.
Pieridum ſacer eſt locus hic, Charitúmque coronę:
His, quia ſunt caſtæ, gramina caſta placent.

Veritatis comes ſimplicitas. Alluſio ad nomen IONAE, *qui fuit filius* AMITHAI.

Signat Amithaus VERACEM: Iona, COLVMBAM:
Ille quidem pater, at filius iſte fuit.
Quàm bene conueniunt amborum nomina! Veri
Namque propinqua, comes, filia, SIMPLICITAS.

Lepus niueus: Chriſto conformari.

Intento ſpectare niues ſic lumine fertur,
Ex ruſo niueus fiat vt inde lepus.
Da, Deus, intentæ Chriſtum ſic figere menti,
Conformis Chriſto mens ſit vt inde mihi.

Fons impurus. Hypocrita monitor.

Purgandis hic fons aliorum ſordibus aptus,
Haud potis eſt ſordes euacuare ſuas.
A vitiis alios mundant plerique magiſtri:
Cùm ſint immundi fœda lacuna gregis.

Speculum: Adulator.

Quæ tu cunque voles, ſpeculo monſtraueris ora,
Quem tu cunque voles geſtum habitúmq. feras:
Hunc imitans ſpeculum repræſentabit adulans,
Gnatonis monſtrans quale ſit ingenium.

Speculum. Syncerus amicus, superiori oppositum.

Quod ſpeculum cernis, ſynceri monſtrat amici,
Et non gnatonis quale ſit ingenium.
Diſſimulat, ſimulátque nihil: quin protinus omne
Oſtendit vultus dedecus atque decus.

Speculum facile infuſcatur, non facile detergitur.
Facilè vulneratur, non facilè curatur fama.

Halitus, exerto minimus qui manat ab ore,
Infuſcat ſpeculum, quod rutilare vides.
Et minimus duro qui manat ab ore ſuſurrus,
Aſpergit famæ nubila nigra bonæ.
Diſparitas tamen hîc ingens: nam vitrea paruo
Detergi ſpeculi lamna labore poteſt:
Læſa ſed haud ſimili reparabitur vnguine fama:
Hæret enim linguæ cuſpis acerba feræ.

Cum Deo ſæpe, cum hominibus rarò loqui.

Pauca & multa loqui pugnant: ſapientia ſumma,
His tamen antithetis clauſa duobus ineſt.
Pauca homini raróque loquens, cum numine multa
Et perſæpe, piè prouidus ille ſapit.

Non noſtris, ſed Chriſti viribus ad cœlum peruenitur.

Naturæ non ſponte ſuæ, ſolertis at arcu
Alconis, metam miſſa ſagitta ferit:
Naturæ non ſponte meæ, ſed munere Chriſti
Vnius, attingam præmia certa poli.

Chryſocome herba apud Dioſcoridem.
Chriſtus amuletum.

Ne magicæ noceant artes, longa arte requiris
Mon-

Montibus & syluis gramina χρυσοκόμης.
Falleris: ars Satanæ non sic vitatur: at illam
Eludes χριστὸν mente κομιζόμενος.

Grata post laborem quies.

Intyba si primùm gustes, si mella deinde:
Sentio, tum dices, dulcia mella magis:
Sic duri postquam verterunt terga labores:
Gratior accedit fronte nitente quies.

Iordanis lacum Asphaltiten secans. Ecclesia pura inter impuros.

Limpidus & vitreis Iordanus qui fluit vndis,
Per Sodomæ fœdum cernitur ire lacum.
Hoc quicunque legis, sanctorum noscito, sortes,
Perreptant terræ dum pereuntis iter.
Vndique cinguntur mundanis sordibus: atqui
Sordibus à tantis pectora pura gerunt.

Tales pueri qui sunt Sodomæ In Rom. Ecclesia

Allia vicina rosis.
Virtus oppositis viuidior.

Quæris odore rosas insignes? allia iuxtà
Obrue: surget odor gratus odore graui.
Opposito virtus vitio sic fortior exit:
Colligit vt robur miles ab hoste nouum.

L. S.

Rhodanus ripas rodens. Malè parta malè dilabuntur.

Cæruleo ripas Rhodanus dum basiat ore,
Infidus secum rura propinqua rapit.
Nec tamen hic potitur rapto, vel ditior exit:
Sed rapidè, prædâ cum fugiente, fugit.
Fluminis exemplo, raptores discite, fluxu

Quàm celeri pereant quas rapuiſtis opes.

Contra ὑπερηφανίαν.

Centrum minoris & maioris circuli. Elati à Deo remoti: ſummißi Deo propinqui.

Quò minor, hoc propiùs: quò maior, longiùs exit
Abſcedens centro circulus à medio.
Sic ſibi qui magnus, procul eſt à numine: ſed qui
Se putat eſſe nihil, iungitur ille Deo.

Propter piſcem putridum rete non rumpitur. Non deſerenda eccleſia propter quorundam flagitioſam vitam.

Eſt illaudatus trahitur qui piſcis: at inde
Piſcator nollet retia rupta forent.
In grege ſunt ſancto nonnulli moribus atris:
Nec fas hinc ſanctum deſeruiſſe gregem.

Thora & Antithora herbæ. Veneno proxima antidotus.

Plantigenæ peto dum ſtirpes in vertice Iuræ,
Eſt Thora viſa mihi, iuncta ſed Antithoræ.
Protinus exclamo, Virtus ô prouida ſummi
Numinis, excelſis montibus alta magis!
Occulto, nam ſi noceat Thora fortè, veneno:
Antidotum præſto conferet Antithora.

Ambulans in Sole coloratur. Senſim praua conſortia corrumpunt.

Atrari ſeſe non ſentit: fit tamen ater,
Titanis radiis qui comes ire ſolet.
Cœtibus adſiſtens prauis, cor crimine tinctum
Haud aduertenti ſentiet eſſe ſibi.

Auceps

Anceps cauendus auibus:
Voluptas iuuentuti fugienda.

Heu, fuge fallaces ramos, auis inscia: visci
Te capturus inest, fronde latente, dolus.
Et te, voce vocat, iuuenis, dum mellea Syren,
Aufuge, vox, quamuis mellea, fella dabit.

Coruus iuglandem tollens in altum:
Stulti in altum sublati.

Sublimes tollit iuglandem coruus in auras:
Hoc vt fracta ruat testa relapsa modo.
Tollitur excelsos nonnunquam stultus in orbes:
Vt nullum norit dura ruina modum.

Tonitru. Rex bonus.

Humanas audis motura tonitrua mentes?
Hæc imitare: tuis, Rex bone, charus eris.
Terrorem multis, sed paucis incute pœnam:
Sic erit imperij forma beata tui.

Populi folia. Lubrica fides.

Vt folia in fluuiis trepidans quæ populus edit,
Non vnquam motu sunt requieta suo.
Sic varius, vario nutans & tempore, mutat,
Ceu folium, faciem, cum faciéque fidem.

Secundis rebus non indormiendum.

Ludentem veniens quam Lucifer æquore vidit:
Hanc vidit vesper deperiisse ratem.
Hinc auris discas non indormire secundis:
Dúmque silet Pontus, quæque serena time.

Læandri & Iosephi ἀντίθεσις.

Vltima quæque pati properat Læander, vt Herus
Currat in amplexus, torridus igne graui.
Vltima quæque pati properat Iosephus, vt ignes
Impuros purus vitet amantis heræ.
Purus amor veri Iosephum numinis vrsit:
Læandrum Veneris spurcus adussit amor.
Vssit amor: restinxit aqua: at pro talibus ausis
Contractum nunquam dedecus eluitur.
Incœstos sed mens dum casta fugabit amores,
Incœstisque grauis desinet esse pudor,
Iosephi semper nomen laudesque manebunt,
Illius & nunquam commorietur honos.
Ætas Læandrum veniens non vlla silebit:
In mare demersit quem Venus orta mari.

Nabalus ex 2. Samuelis.
Virtus non transit ad hæredes.

Nobilium dum te de sanguine dicis auorum,
Tunc à laude nihil credis abesse tuâ.
At si Calebi spectes de stirpe Nabalum,
Tunc dices, Virtus haud sata stirpe venit.

Παθήματα pro Christo.

Mos erat Ausoniis, si quando pulchra dabatur
Libertas seruo, fuste ferire genas.
Vt Christi fias Libertus, ferre recusas
Patroni sanctâ didita flagra manu?

Fiber se detestans. Totum parte potius.

Mirari facile est, imitari non ita, fibri
Cautibus in Rhodani sæpe latentis, opus.

Qui

Qui propter testes gnarus sibi fata parari,
Quò fiat morbis vtile Castoreum:
Abscissa totum redimit se parte: solétque
Se detestari dentibus ipse suis.
Discite mortales, proiecta parte, salutem
Totius, haud vano more parare fibri.

Securitas pietatis mors.

Pellitur vnda Noto, Boreáque repellitur; isto
Limpidus appares, pure Lemane, modo.
Ast immota pigrâ quæ clauditur vnda palude,
Perpetuâ vitium de requiete capit:
Sic pietas lætis quæ languet torpida rebus:
Aduersis eadem sollicitata viget.

Simile à lacu Lemano.

Castanea echinata ex Plinio. Non iudicandum ex opinione.

En tibi Castaneas: si vincit Opinio, vile:
Sin ratio superat, nobile munus erunt.
Nam quod multiplici clausum vallatur echino,
Hoc natura potens, dicere vile, vetat.

De [illegible]

Aster Atticus, flos. Nomen sine re.

Quid nomen tituli que iuuant, si rebus ab ipsis
(Vnde petenda fuit) laus tibi nulla venit?
Atticus hoc Aster monstrat, qui, lumine nullo,
Nomine sed solo, dicitur esse micans.

Rex nomine tenus.

Sceptra geris dextrâ, frontem diademate cingis.
Hisque soles regem te vocitare notis.
Aurato verùm mens sub diademate non est:
Et fatuo virtus pectore nulla tibi.

Rex tamen es,regum cui se non conferat vllus:
Scaccorum Regem si tamen excipias.

Fœda peccati cicatrix. Deut.14.

Turpe fuit quondam vultus incidere ferro
Isacidis,voluit quos Deus esse suos.
Turpius at quantò plagas infligere menti,
Hancque acie vitij dilaniare trucis?

Laurus nauteæ vicina. Laudata cum illaudatis mixta.

Inter odoratas laurus notissima frondes,
Inter fœtentes nautea nota nimis.
Est tamen hæc illi non raró iuncta;coméſque
Fit plerumque grauis gratus odoris odor.
Sic cum laudatis rebus,plerumque remixtus
Illaudatarum cernitur ire chorus.

Plantæ singulæ virtutes habent suas. Sed rara est inter homines virtus.

Quas profert tellus,multis è millibus,herba
Cui non sit virtus indita,nulla datur.
Viuentum,multis hominum de millibus,vnus
Vix est,cui virtus conferat vna decus.

Cannabis: Fortitudo Iustitiæ coniuncta.

Cannabis herbarum meritò validissima fertur:
Iungit enim Gangen Gadibus Occiduis.
Est eadem cunctas inter iustissima stirpes:
Hac mos est tortâ plectere namque reos.

Eryn-

Eryngium herba, quam Centum capita vocant. Consiliarij non numero sed sapientia probandi.

Quid numerus capitũ sibi vult? caput anteit vnum
Pluribus: hoc cerebro, si valet: illa vacent.
Carduus hoc dictat, capitum cui copia nomen
Contulit: at mentis nil habet ille tamen.

Beta herba. Vires suas metiri.

Non læto fatuam cur betam nomine dicis?
Si non desipio, prouida beta sapit.
Nam nimio fœtu ne forsan abortiat, anno
Quem ferret primo, diuidit illa tribus.
Naturæ sapientis opus mirare: simúlque
Prudenter vires pendere disce tuas.

Homo vermis. In contemptores aliorum.

Quid stolidè reliquos elatus despicis? Ohe,
Si vermis vermem despicit, ecquid erit?
Spectatum admissis risus nascetur: erítque,
Longior aut breuior, vermis vterque tamen.
Quot spectas homines, tot dic te cernere vermes.
Vermem vemis? Homo despicies hominem?

Christus vnicum σύμφυτον.

Σύμφυτα multa gerit tellus, vt vulnera, nostris
Indita corporibus, sana coire queant.
Attritæ menti numeroso vulnere, Christus
Σύμφυτον est vnum perpetuúmque meæ.

Ocymon herba. Virtus clarescit malorum contumeliis.

Ocyma prouentu nasci narrantur amœno,
Semina cum probris dum mala spargit anus.

Clarior exurgit virtus, conuitia falsa
  Crescentem contra quam mala lingua spuit.

Idem Ocymon.
Blanda & aspera disciplina.

Ocyma tunde manu facili, ferientur odore
  Ambrosio nares inde fluente tuæ.
Sin eadem rigidè tundas, tum fœtidus inde
  (Nautea cui putens cesserit) halat odor.
Sunt quibus ingenium fit pertractabile, loro
  Ducere si studeas & retinere leui.
At duris illos si vis cohibere lupatis,
  Efficies vt sit durius hisce nihil.

Vmbra. Aula principis.

Quale vides corpus, talis cernetur & vmbra:
  Ex longo longa est, ex breuiore breuis.
Principis insequitur mores variabilis aula:
  Illaudata malo fit: sed amanda bono.

Nerion herba, ex Plinio: Sacra piis vitalia, lethalia sunt impiis.

Nerion est canibus quod & hircis triste venenum,
  Humano generi fertur amica salus.
Sic quæ sacra bonis vitalia munera præbent,
  Sunt, hominum culpâ, tristia facta malis.

Fraxinus arbor. Pulchrum & vtile.

Anguibus vtilis est pellendis: est bona bello
  Fraxinus: in syluis pulchra: decora domi.
Quàm bene consociat geminas hæc copula dotes,
  Si pulchro iungas vtile sorte pari!

Testu-

Teſtudo. Tarditas ad virtutem.

Teſtudo domiporta gradum celerare iubetur?
  Protinus immoto corpore pigra manet.
Sic nos, virtutis dum voce vocamur aperta,
  Heu, teſtitudineo quàm ſumus ingenio!

Mors tempeſtiua.

Eſt tempeſtiuâ nil morte beatius: æui,
  Quid tempeſtiuum, ſcit pater ætherei.
Iudice me tamen, huic mors eſt & Vita beata.
  Cui fas, Velle Dei dicere, Velle meum.

Lynceus in alienis, talpa in ſuis errroribus agnoſcendis.

Lumina quæ gerimus, non ſunt humana: feríſque
  Sumimus à geminis lumina quæ gerimus.
Linx aliud dat: talpa aliud. Peccata, priore
  Alterius video: poſteriore, mea.

Pentaphylon herba ex Dioſcoride. Fidei ἀλυπία.

Pentaphylon geſtes circum ſi corpus, abibit
  Et dolor & languor, ſi modò vera ferunt.
Aſt illis minimè conſentio credulus: optans,
  Antidotum, longè qua dolor omnis eat.
Expediam quæ ſit: fidei ſtirps procreat illam:
  Nam veniente fide, tunc dolor omnis abit.

Eccleſia afflicta erigitur.

Obruta nuper erant nimbis: nunc munere Solis
  Et læto roris gramina viua virent.
Sic quæ nuper erat deiecta Eccleſia, tollit,
  Vitali Chriſti lumine clara, caput.

Stella polaris. Auxilium certum ab vno Deo.

Resplendent lato quamplurima sydera cœlo:
Vna sed in dubio quæritur Vrsa mari.
Subsidium mundus varium promittit:at vnum
Mî Deus, angustis rebus es auxilium.

Salix frugiperda. Malè seruata opes.

Diuitias quicunque parat, temnítque paratas:
Non sibi, non aliis vtilis esse potest.
Sic generat, genitúmque salix disperdere fructum
Dicitur, & prodest non sibi non aliis.

Salix eadem. Parens sobolis negligens.

Quid genuisse iuuat, genitæ si cura parentem
Ignauum prolis non tenet vlla suæ?
Non magè, quàm salici nil prodest mittere semen,
Ipsa quod emissum perdere fronde solet.

Pellis vulpina. Hypocrisis.

Frigoribus pellis prodest vulpina fugandis:
At vulpina parit commoda rara caro.
Mente viris fictâ foris est laudabile quiddam:
Interno sed nil vtile corde tegunt.

Linum. Posteritas neglecta.

Viua seges lini tranquillo sydere gaudet:
Mortua, continuos optat habere Notos.
Sunt & qui, dum stat vitalis luminis vsus,
Optata quærunt vndique pace frui.
Ast illis animâ cum mors seiunxerit artus,
Non est cura fero turbine cuncta rapi.
Hoc, Nero, testaris: cuius vox dira refertur.
Cum cœlo pereat (me pereunte) solum.

Deus ἀκατάληπτος.

Deucalionæis hominum gens edita ſaxis,
A ſaxis, varium non variantis opus
Diſce Dei. Ripas forſan dum propter oberras,
Quàm multus cernis ſit variúſque lapis?
Forma, color, numerus, ſors huius, mente prehendi
(Sit licèt hæc mundi portio parua) nequit.
Quod ſi victa ſilet mens paruæ neſcia partis,
Quî norit totum & totius artificem?
Deſine: cognoſci numen non poſſe ſupremum
Si noris, numen te bene noſſe ſcies.

Lens ex Plinio. Eſaus ex Geneſ. 25.

Eſt Peluſiacæ robur mirabile lentis:
Efficit æquanimes namque comeſta viros.
Quod ſi non falſo lens commendatur ab ore,
Hanc Eſauo non credo fuiſſe cibum.

Mõtes excelſi rigentes. Hypocritæ ore propinqui Deo.

Hæc iuga, cryſtallo niuibúſque rigentia denſis,
Sunt vicina tuæ, feruide Phœbe, faci.
Non tamen illa, tuæ, ſoluunt quæ cætera, flammæ,
Sydere ſub Cancri diſſoluiſſe queunt.
Sic vos, Fabriciis ſimulatâ fonte propinqui,
Dum Sophiæ labris oſcula crebra datis:
Proh pudor! infami vitiorum igneſcitis æſtu:
Dum recti veſtro ſemina corde rigent.

Atriplex herba ex Plinio. Vicinus noxius.

Vix ego crediderim: quidam tamen, omnia circum
Atriplicem fieri languidiora, ferunt.
Si ſic eſt, noſtris menſis olus illud abeſto,
Mentibus & noſtris illius ingenium.

Malua herba ex eodem. Gratus animus.

Quem ſuccum tellure trahit, cum fœnore reddit:
 Pinguius & linquit conſita malua ſolum.
Stirpis ad exemplum gratæ, memor eſto rependas
 Vt benefactori præmia digna tuo.

Ex malis bona. Gemma in capite bufonis nata.

Ecce tibi: quis non miretur? nata veneno
 In medio, profert gemma ſalutis opem.
Et mirare malo doctoris ab ore nefandi,
 Dogma fluens, cœli ſi tibi monſtret iter?

Odor ex thure; Odor ex ſulphure.
Mors piorum & impiorum.

Iniuſtum iuſtumque manet mors vna: quid ergo
 Vnius eſt inter funus & alterius?
Expediam verbo: quàm gratus, thure Sabæo
 Ignibus iniecto, naribus halat odor:
Tam bene ſanctorum mors: ſed damnata malorum,
 Ceu vapor ex vſto ſulphure teter, olet.

Harpaſtum ſaliens in faciem luſoris.
Stulti non laudandi.

Acre tenſa reples quæ nunc Harpaſta recluſo,
 In faciem ſalient mox tumefacta tuam.
Immeritis ſtolidè tumidum qui laudibus effers,
 Grande feres probrum laudibus ipſe tuis.

Sydera nocte latentia. Pietas premitur, non opprimitur.

Sit nox atra licèt, cœli non opprimet aſtra,
 Aſtrorum quamuis lucida dona premat.
Sic premitur pietas, rebus vexatur & arctis:
 Rebus at hæc arctis non tamen opprimitur.

Cygnus.

C 5.

Cygnus. Hypocrisis.

Qualis olor niueis volitans argenteus alis,
Cui ferrugineo corpore nigra caro:
Talis candorem qui fert pietatis: in atro
Cuius & impietas pectore clausa latet.

Laurus frondem non mutans. Constantia in pietate.

Quo tu cunque voles circumspice tempore lauros,
Hæ, non mutata fronde comante, virent.
Teque docent, ô qui veræ es pietatis alumnus,
Vnâ vnam sanctâ mente tenere fidem.

Laurus integerri... J. M.

Sol progrediens. Bene vtendum ætate.

Processisse vides, sed non procedere Solem:
Dum solitum cœli perficit altus iter.
Labentem tacitis vitam non percipis annis:
Elapsam demûm deperiisse scies.
Sol dum lucet, arant, occántque metúntque coloni:
Tu bene, dum cedunt, vtere temporibus.

Herba IMPIA vocata Plinio. Fama malum.

IMPIA voce vocor: quanquam sim criminis exors:
Attamen â multis IMPIA voce vocor.
Quàm bene FAMA malũ docto est vocitata Maroni!
Namque bonos probris vrit iniqua malis.

Fama bonum.

Est & Fama bonum: cuius pernicibus alis,
Astra super virtus lucidiora volat.
Sed magno semel est quod dictum fortè Maroni,
Id famæ semper vulgus inesse putat.
Sic nimiùm famæ tribuens, aspergine culpæ
Irrorat famam vulgus, aítque malam.

Tilia arbor, ex Plinio. *Labor infructuosus.*

Quid curâ mentem vexas & corpus inani?
Non tibi, non aliis proderit iste labor.
Sic Tiliæ mos est onerari pondere fructus:
Viuentum nullum fructus at ille iuuat.

Æs stanno illitum, ex Plinio. *Amabilis* [redacted]

Illinito stanno factos ex ære lebetes,
Ærugo fugiet, gratus eritque sapor.
Nec crescet, mirum! maiori pondere pondus,
Pondus habent quanquam quęque metalla suum.
Quàm socius socio (si sit laudatus vterque)
Commoda multa ferat, iuncta metalla docent.

Philosophi vsu destituti, ad Rempublicam gerendam inepti. Ex Athenæo.

Socrate nil olim vidit sapientius Hellas,
Pythius oraclo dixit vt ipse suo.
At, ni fallor ego, Phœbi cortina fefellit:
Socrate ridiculum nil magis esse reor.
Nam meditans nugas, teneris & mentibus indens,
Tractandis hominum rebus ineptus erat.
Lancea de Thymbra non fit: nec de grege fiet
Socratico, patriæ qui pater esse queat.

Vsus ad Rempublicam regendam potior doctrinâ.
Ad initium Institutionum iuris Imperatoris Iustiniani.

Legibus armetur Rex, exornetur & armis
Qui dixit, præstans induperator erat.
Alpha quidem nequiit connectere, Betáque: verùm
Vsu & felici polluit ingenio.

Vrbibu

Vrbibus vtilis eſt,fateor,doctrina regendis:
Plus vſus prudens ingeniúmque valet.

Laus inanis. Saga laudando faſcinans.

Non oculis tantùm,ſed laudans,faſcinat ore,
Alpibus in rigidis quæ ſaga viuit anus.
Nec vitiis tantùm Satanas infeſtat:ab ipſo
Virtutis pretio tela timenda petit.
Nam dum virtuti laus debita penditur,inflat
Pectus auens laudis:qua ſubeunte,crepat.

Aſpidum coniunctio,ex Plinio. Coniugum indiuulſus amor.

Connubij leges, qui ſacráque vincula neſcit,
Aſpidis aſpiciat fœdera fida,ſciet.
Eſt propriâ ſemper reptans cum compare com-
Et nunquam,niſi cum compare,vita placet.
Connubij ſerpens eſt fœdere primus abuſus:
Connubium,ſerpens,quî decet eſſe,docet.

Ingenuus pudor.

Qua fallantur aues,Zeuxis dum pingeret vuam,
Quàm foret oſtendit nobilis arte manus.
Ingenuè victum ſeſe confeſſus at idem,
Prodidit ingenuo quàm foret ingenio.

Præclara confeßio ſuæ tenuitatis.

Depingens vuas Zeuxis,ſuperatur ab arte
Parrhaſij:ſuperat ſed modò Parrhaſium.
Qui? petis.Ipſe ſui viduatus amore,fatetur
Se victum.Minor eſt Zeuxide Parrhaſius.

Falsa moneta. Principum corruptores.

Effigiem falso qui regis adulterat ære,
  Supplicio dignum quis neget esse graui?
Regis at ingenium fœdat qui moribus atris,
  Dic mihi, supplicio quo feriendus erit?
R. Edicant Minos, Rhadamantus & Æacus ipsi.
  Namque potest hominum dicere nemo satis.

Rosa genistæ insita. Radicari in Christo.

Flaua genista rosam flauentem reddere fertur,
  Altera si radix hæret in alterius:
Cum Christo fueris si radicatus, eidem
  Conformem faciet te sociatus amor.

Tumor animi deprimitur cognitione Dei & sui.

Infestos quæ discutiant à corpore flatus,
  Multa legunt Medicæ semina nota manus.
At tumidi flatus animi quî tundere possis,
  Clara Dei monstrat notio, clara mei.

Nepenthes herba, ex Homero. Christianorum bona conscientia.

A Nilo quorsum petitur cantata poëtis
  Herba, dolore leuans pectora pressa graui?
Nepenthes verum mens est sibi conscia recti:
  Amplectens Christum non moriente fide.

Palumbes. Maligni rebus aliorum lætis dolentes.

Dum reliquæ mulcent volucres concentibus auras,
  Vere, palumbus iners, adueniente, gemit.
O, hominum nullis natura probanda palumbi!
  Quo gaudent reliqui namque dolere, nefas.

Tole-

Tolerantia Dei aduersum peccantes.

Cesset equus minimùm; feruens auriga flagello
Castigat minimas voce manúque moras.
Officio desum: pecco sine more modóque:
Mi Deus, errantem plectere nec properas.
Namque ferâ quantò peccans sum nequior omni:
In miserum tantò mitior esse soles.

Aristomachus apud Plinium. Notitia sui neglecta.

Ad sexagenos, vt apes bene nosceret, annos,
Desudasse senex fertur Aristomachus.
Sunt hoc qui laudent: bene sed se noscere tantùm
Si studuisset, ei laus magis ampla foret.

Nulla sunt immobilia bona.

Parcite consulti Iuris: nil mobile non est,
Stent licèt immoto prædia fixa solo.
Hos saltus & agros, iuncta cum vite, paratis
Reddere cum pratis, nuper habebat Aper.
Crispini tenet hæc nunc astus amarus auari:
Cessuri iamiam fraudibus Aufidij.
Quod crebris dominos commutat casibus, illud
Non sapiet, quisquis mobile fortè neget.
Terra vale. Non firma, nequis præstare beatum,
Felix, qui cœli limina certa tenet.

Omnia nihil. Παράδοξον.

Aspiciam quamuis montes, campósque patentes,
Cum pagis vrbes, cum fluuiísque lacus:
Me tamen (hoc inter veterum paradoxa repones)
Intentis oculis cernere dico nihil.
Cur petis, id dicam? momentis cuncta rotantur
Omnibus, & fiunt fluxa, caduca, nihil.

At quanquam ſint cuncta nihil, cùm cernere numen
Mî dabitur, dabitur cernere cuncta mihi.

Ad illud Ouidij de Lactea via, Metamorphoſ. 1.
Hac iter eſt ſuperis ad magni
tecta tonantis.

Ad ſummi ſi quis conſcendat tecta tonantis,
Lactea, Naſoni crede, terenda via eſt.
Sed magè credendum Paulo, qui ſanguine Chriſti
Purpureum cœli carpere monſtrat iter.
Vera tamen narrat Naſo: nam cœlica nullus
Tecta ſubit, niſi qui lactea corda gerit.

Omnia libidinibus fœdata.

Nomina ſyderibus non omnia nauita fecit;
Impoſuit quædam perdita nequities.
Calliſto docet id pellex: quæ dicitur vrſa
Facta priùs: ſed pòſt ſtella propinqua polo.
Proh pudor! haud ſatis eſt repleſſe libidine terras,
Si non deturpent crimina tanta polum?

Cauenda malorum conſortia.

Ne rapidis Phœbus lædat tua lumina telis,
Vmbellæ patulo tegmine iure caues.
Inficiant mala ne mentem conſortia, cur non,
O miſer! attentâ cum ratione times?

Χύτρας φιλία.

Vt comes eſt, radios per ſolis euntibus vmbra;
Cùm latet hic preſſus nubibus, illa fugit:
Sic comes eſt multus, vultu cui cuncta ſereno
Arrident: ſi ſint nubila, ſolus erit.

Auceps

Auceps decipiens volucres fistulâ, seipse decipit.
Volucris ætas.

Non se, cantando volucrem dum decipit auceps,
Quantùm decipiat despiciátve, videt.
Nam volucris, volucreis captanti, dum volat ætas,
Assiduè capitur, nec capit assiduè.

Vt seueris, ita metes. *Charitas in egenos.*

Farra solo putri manda: numerosa resurgent
Frugiferæ Cereris farrea dona tibi.
Farra tuis maneant cumeris conclusa, parabunt
Muribus & blattis prandia lucifugis.
Pauperibus largire libens; cum fœnore, sparsæ,
Ne dubita, tandem restituentur opes.
Stringe manu parca, te non vtente, peribunt,
Quæ miserè cumulans horrea clausa tenes.

Animæ despicientia, opposita nimiæ Mecœnatis diligentiæ. ex Plin.

Pelleret vt morbum de corpore, dicitur olim
Mecœnas annis conticuisse tribus.
Vt mentem releues morbis grauibúsque, malísque,
Te puncto, mirum nolle tacere breui.
Corporis hic nimió studio peccauit: at erras,
Omni dum mentis sis vacuus studio.

Via peregrinanti molesta : Mortalium vita.

Puluere, sole, gelu, ventis, nimbísque, lutóque
Concutiêre, facis qui peregrinus iter.
Humanæ sperat qui ducere tempora vitæ,
Sic, vt eum fugiant damna, pericla, labor,
Et dolor, ærumnæ, casus, curæque molestæ;
Errat. Vita homini hac conditione datur.

Asylus infestus equis & tauris. A minimo hoste timendum.

Il ny a point de petit ennemi

Vrget asylus equos ingentes, vexat & idem
(Sit licèt exilis) corpora magna boum.
Viribus, ô confise tuis, ne tempseris hostem
Securus: metuas sed licèt exiguum.

X *Panoplia Christiani militis, ex Ephes. cap. 6.*

Dicitur, immani cùm vult pugnare draconi,
Quò vincat serpens, arma parare sibi.
Tu, Satanæ (quo non extat draco sæuior alter)
Qui pugnare paras, arma parata gere.
Sit thorax circum præcordia tutus amoris:
Spes aptet capiti tegmina firma tuo.
Læua fidem teneat clypei septemplicis instar:
Viua sit in dextra, Sermo, machæra, Dei.
Ieiunúsque, vigilque preces adiungito, pigra
Otia depellas: sis inopíque bonus.
His, Satanam contra, si depugnaueris armis,
Tela vibrabit iners, terga dabítque fugax.

Vetus & nouus orbis.

Ecce nouo veteres homines gignuntur in orbe:
Quàm vellem veteri sint vt in orbe noui!
Hoc verò fiet, Christo si subditus vni
Orbis adhærescens sit nouus atque vetus.

Vetus & Nouus homo. Allusio ad Interdictum de Noui operis nunciatione, ex lib. 36. Pandectarum.

Ecce nouum vicinus opus tibi nunciat: vltrà
Romanum te ius ædificare vetat.

Et cœ-

Ad tit. ff. de noui operis nunciatione.

Et cœptum tibi Chriſtus opus denuntiat: Adam
Vult vetus vt ceſſet: ſurgat vt inde nouus.

Lepra: Peccatum Originis.

Lepra quid eſt? Toto perreptans corpore cancer,
Omnem qui medicæ reſpuit artis opem.
Culpa quid eſt peccans? Ab Adamo nata parente
Labes, viuentum quæ necat omne genus.
Humana tolli quæ cùm non poſſit ab arte;
Vnicus hanc Chriſtus ſuſtulit, alter Adam.

Ager ſtercoratus. Eccleſia Paſtori diligenter curanda.

Effœtos cinerem immundum iactare per agros,
Non pudet agricolas, vel ſaturare fimo.
Eſſe ſui quos vult cultores Chriſtus agelli,
Hunc pudeat fida non coluiſſe manu.

Gallica ἀταξία, ex initio commentar. Cæſaris de Bello Gallico.

Desordre en la France.

Ecquis, multiplici cumulatos laude libellos,
Ignorat, Cæſar, non relegítque tuos?
Pace tuâ liceat tamen hoc expromere, Cæſar,
In ſcriptis quædam ſunt reuocanda tuis.
Quæ ſint illa, rogas? Primi primordia libri:
Quæ, dolor, heu! Galli nunc ſecus eſſe probant.
In treis, Cæſar, ais, diuiſa eſt Gallia partes.
Falleris: in partes mille dirempta ruit.

Gallia inuicta. Lilium planta.

Mille dirempta quod eſt in partes Gallia, crudus
Inde quod exultet nil inimicus habet.
Lilifera ignorat quàm viuax planta: reuulſo
Cui radix etiam viuida, caule, viget.

Vide Hilarium

Lilium planta

Et nunc liliferos(Deus omen ſoſpitet)etſi
  Collidens populos dura procella quatit:
Gallia quaſſa mori neſcit: latet abdita venis
  Vita,Dei clypeus quam tegit atque regit.

Per Chriſtum grati Deo pij.

Quos legitis flores & olentes ſuauiter herbas,
  Has gignit tellus exaturata fimo.
Vis facit hoc Phœbi:cuius feruore benigno
  Vitalis plantis conciliatur odor.
Sic ſol Chriſte,fugans ozænæ fœtida noſtræ,
  Balſama das,vt tunc ſimus odora Deo.

Taxus,ex Plutarcho. Ab amico ficto cauendum.

Qui taxi captas vmbram,ni fugeris,vmbra
  Euades:&,quem frons tegit,vrna teget.
Sic & amicitiam mentitus pectore ficto,
  Quàm ſit cognoſces,ni fugis,hoſtis atrox.

Ὑδροφοβίας curatio. Chriſtus Satanæ morſum ſanans.

Eſt aqua lethifico præſens medicina veneno,
  A rabido forſan ſi cane morſus eris.
Et Satanæ(canis eſt quo non rabioſior vllus)
  Victor eris,Chriſti ſi madidêris aquâ.

Lupini,ex Plinio. Lautitiæ fugiendæ pietatis cultorib.

Protogenes fertur,(picturæ intentus inani,
  Humanæ pretium laudis inane petens)
Humenti pepuliſſe faméme que ſitímque lupino,
  Dulcedo ſenſum ne nimis obſtrueret.
Te,qui ſancta Dei tractas oracla,calentem
  Non pudet,heu! ventrem mergere delitiis?

Deſine.

Desine. Panis erit iucundus & vtilis ille,
Quem non fermentat noxia lautities.

Magna vis societatis in vtramuis partem.

Qualis terra subest, quâ fons decurrit, & herba
Qualis inest vdo margine, talis aqua.
Qualis erit, socium cui tete feceris: (ô quàm
Mutamur minimo tempore!) talis eris.

Auxilium Dei propinquum rebus desperatis. Gene. 21.

Agara, cur luges? fons hîc propè: respice, lymphâ
Vitali recrea te puerúmque tuum.
O Deus, auxilij spes dum præciditur omnis:
(Experiens dico) tangitur auxilium.
Cúmque nihil superest, & cuncta deesse putantur,
Cuncta piis adsunt, nil & abesse potest.

Nota pro G anno 1661.

Hyoscyamus, Lat. Altercum, herba. Gulonum vita.

Alterat altercum, mentem vertigine turbans:
Dicitur immundæ quæ faba nota sui.
Nempe suilla placet fœdo cui vita guloni,
Amittit properè nobile mentis opus.

Genes XXI.

Non inuidere ὁμοτέχνοις. Apellis candor erga Protogenem.

Laudibus innumeris ars collaudetur Apellis,
Cui genuit nullum Græcia tota parem.
Mî magis arte placet candor laudatus, ab omni
Protogenem coluit quo procul inuidiâ.
Huius enim tabulas, dum sordent, fertur Apelles
Emisse, & tabulis connumerasse suis.
Quo facto, quem tota Rhodus contempserat antè
Protogenem, celebri cœpit habere loco.
I nunc: In figulum figuli dic inuida mens est:
Hac à labe procul pectus Apellis abest.

Πρὸς ὁμοτέχνους.

Corylus. Liberalitas in egentes.

Quò magè ramosæ distendit brachia frondis:
Hoc corylus fructu fit magè fœta bono.
Et pia pauperibus quo fit communior arca:
Hoc, donante Deo, fit cumulata magis.

Iudicium Alexandri magni ridiculam industriam ridiculo præmio pensantis.

Qui milij per acum transmisit grana foratam,
A vulgo laudem desipiente tulit.
Sed populo melius Macedo rex iudicat; illum
Mandat honorari dum milij modio.
Cuius namque foret solertia ludicra tantùm,
Humano generi commoda nulla ferens:
Non alio dignus pretio decoratus, habebat
Ridiculæ pretium conueniens operæ.

Ad illud Virgilij, Georgic. Milio venit annua cura. Prodesse plurimum.

Annua cura venit milio, non annua cuius
Effluit vtilitas, sed diuturna manet.
In longum tempus seruatur, seruet vt atræ
Mortales contra spicula tetra famis.
Qui prodest multis multúmque leuíque labore,
Et minimo sumptu, fit similis milio.

Aquæ laudatæ, & laudati viri ἀντίθεσις.

Quæ leuis est, minimúmque sapit potabilis vnda,
Laudatur medicis de meliore notâ.
Qui grauis est, multúmque sapit, laudabilis inter
Prudentes claro cernitur esse loco.

Terrenis

Terrenis despectis cœlestia curare bonum.

Terra, bonum: pedibus fuerit si subdita: sed si
  Humano sedeat pectore fixa, malum.
Cœli cura, malum, pedibus si subiacet: at si
  Hæret in humana mente reposta, bonum.

Ascanius lacus apud Plinium: Alíud in ore, alíud in pectore gerere.

Ascanio summo quæ dulcis fluctuat vnda:
  Imo sentitur salsa subesse lacu.
Sunt, quibus est blando sermo dulcissimus ore,
  Spicula sed tectè pungere gnara gerunt.

Vide Jacobum Apostolum De Lingua

Nolanus ager apud eundem. Ἰδιογνώμων.

Concordas nulli: reliquis quod dicitur, illud
  Ore negas: illis quódque negatur, ais.
Tale quid est agris Nolæ confinibus, in quos
  Puluis ab imbre venit: sole calente lutum.

De Aristotele in Ethicis [illegible]

Momus. Solus Deus καρδιογνώστης.

Humano quod non in pectore facta fenestra est,
  Artificem summum carpere, Mome, soles.
Desine, namque nefas hominis pernoscere pectus
  Est homini: Deus hoc vendicat ipse sibi.
Ast idem, mirâ pectus qui condidit arte,
  Vt proprium norit, non eget artis, opus.

Ἀχαριστία *in bene meritos. Ex Plutarcho.*

Esset dum casus visura carina marinos,
  Et ferret multas atque referret opes:
Chara fuit nautis: postquam sed inutilis annis
  Est quassata, manet despicitúrque ratis.

Clarorum sors est eadem plerumque virorum:
Quos,donec præstant commoda, vulgus amat.
At grauior veniens ætas si commoda claudat
Pristina: nil illis vilius esse solet.

Larix apud Plinium lib.16.cap.10.
Pietas inuicta.

O Laricis natura potens,cariosa vetustas,
Æthnea vel quam non flamma domare valet!
Hinc illi meritò pietas confertur:acerbas
Carnificum semper vincere docta faces.

Samson Iudic.16.Præclara sui victoria.

Herculeas taceat iactatrix Græcia vires.
Conticeátque,Milo,clara Crotona tuas:
Pagina Samsonis memoret sacrata lacertos,
Omnibus ignotos,omnibus indomitos.
Ille tamen,vincens cunctos,se victus ab vno,
Victoris laudem perdidit eximiam.
Namque leoninum guttur qui fregerat,ille
Est telis fractus,parue Cupido,tuis.
Ruperat& forti qui vincla Philistica dextrâ:
Est vinclis vinctus turpiter ille suis.
Hostiles & qui per agros immiserat ignes,
Exarsit flamma torridus ille suâ.
At quicunque legis Samsonis fata,rebelles
Affectus cœli vincere disce metu.
Sic maior magno fies Samsone:domarit
Nam qui se,nullos non superare potest.

Papauer. Magistratus sit vigil.

Ne sere(dicatur quanquam cereale) papauer:
Nam minimè ducibus conuenit ille cibus.

Lethæum

Lethæum norunt generare papauera somnum:
Esse decet memorem peruigilémque ducem.

Sus gemmas vertens rostro. Epicurei de Deo & virtute loquentes. Ex Horatio.

Illum, res hominum variis qui temperat oris,
Virtutémque tuo carmine, Flacce, canis.
Idem te iactas Epicuri de grege porcum:
Idque probas scriptis non semel esse tuis.
Ergo Deus virtúsque tuo iactatur ab ore,
Vt solet à turpi lucida gemma sue.

Æthiopis herba. In furem insignem.

Æthiopis, si vera ferunt, occulta recludit:
Et rumpit ferro pessula facta graui.
Fur non es, fateor: fur non es, Sexte, sed hæret
Æthiopis manibus ter piceata tuis.

Vipera. Venenum veneno retunditur.

Quod viuos pariam, multo conamine, fœtus,
Dicor ab Ausoniis vipera Grammaticis.
Sum, fateor, multis tristi metuenda veneno.
Pharmaca sed contra dira venena gero.
Miraris. Quidni? Deuicta venena venenis
Pelluntur, cuneus pellitur vt cuneo.

Sordes in fluuios iacere vetitum lege Persicâ. A turpibus verbis abstinendum.

Immundas mundos sordes iactare per amnes
Persarum vetuit sanctio prisca σοφῶν.
Hoc attende (pias mentes cui cura tueri)
Vt vites fœda verba refusa lue.

Persica arbor. Adoptio per Christum.

Persica,quæ fuerant natiuis toxica ramis,
Sunt in adoptiuo nunc pretiosa solo.
Stirpis Adamææ fuerant qui mortua ligna,
Christus adoptatos germina viua facit.

Faba. Nihil est quod placeat omnibus.

Est Faba Pythagoræ vetitis damnata:sed illi
Conciliant Fabij,nomina clara,decus.
Quod placeat cunctis,nil toto est orbe:satis sit,
A magnis partem laudis habere viris.

Boues machinis bellicis:equi aratro iuncti.Viuere conuenienter naturæ.

Ductandō taurus natum se nouit aratro:
Hinc,agitans Martis ferrea plaustra gemit.
Bello gestit equus,graue dedignatur aratrum:
Pinguia sic ægro vomere culta secat.
Quàm bene conueniunt res rebus,semina quando
Naturæ seruant qualiacunque suæ!

Lolium. Apostatæ à pietate vera.

Infelix lolium (quod degenerauit ab ortu
Triticei generis)frigida gignit hyems.
Frigida sic quibus est vero de numine cura,
Verâ degenerant à pietate leues.

Lappa herba quæ & Personata vocatur.Humanitas simulata cauenda.

Laruatis veterum quondam notissima scenis
Lappa,φιλανθρώπου nomen habere solet.
Admonitu discas vitare, binominis herbæ
Laruatè humani facta dolósque viri.

Domestica

Domeſtica ſordent. +

+ Vitium Gallorum. Extera placent.

Pectora quàm nobis obtuſa gerantur ineptis,
Exprobrare tuo iure, Lemane, potes.
Non tibi Lucrinus, tibi non certauerit ingens
Benacus, tibi non Larius aut Podamus.
Cum ſtagnis amnes cedunt: regnator aquarum
Nympharúmque parens inuidet Oceanus.
Grandibus ille quidem cœtis numeróque reuincit:
Præcipuæ laudem tu bonitatis habes.
Heu ſtolidi! bona quàm non nouimus iſta! tuorum
Nos piget: externis piſcibus allicimur.
Cum Sepia Scomber, Molucæ iunctus Aſellus,
Anguilla & Thynnus, putris Halécque placet.
Nimirum nobis plerumque domeſtica ſordent:
Inſipidíſque magis merx peregrina ſapit.

In eandem ſententiam. Daucus herba ſrequens monti Iuræ.

Et tu, Iura, potes magnum ridere laborem,
Quo ſueſcit Cretæ daucus ab orbe peti.
Namque tuas largè per valles naſcitur, éſtque
Herbiparis paſſim cognitus ille iugis.
Sed quid agas? Homines inter ſi viuitur: optant
Orta procul: ſpernunt in lare nata ſuo.

Anguillæ. Hoſpes non ingratus. Ex Plinio.

Limoſo lentè quæ defluit amne, putatur,
Si fouet anguillas, eſſe ſalubris aqua.
Hoſpitibus venit hæc anguillis gratia: limo
Quas vitij quod adeſt, tollere poſſe putant.
Si ſic eſt, pendunt non paruo munere munus:
Hoſpitibúſque velis gratus vt eſſe, monent.

Ros. Modus in omnibus.

Rore quid vtilius verno? moderatus in herbas
Si cadit, agricolis ſpes opulenta venit.
Rore quid eſt grauius verno? numeroſior herbas
Si rigat, has ſcabie ſtrangulat atra lues.
Eſt laudatarum rerum modus optimus: atque
Vt moderata leuant, immoderata grauant.

Cyclamen herba ex Diſcoride. Verbum Dei Alexipharmacum.

Noxia quò longè pellas medicamina, quid tu
Magna Cyclamen ſedulitate ſeris?
Deſine, vitabis mala noxia, pectore firmo
Diuini verbi ſemina viua gerens.

Formica ſibi non alijs prodeſt.

Formicæ non eſt paruæ laus parua: labori
Incumbit quoniam ſedula continuo.
At non vſque mihi labor improbus ille probatur,
Nam ſoli prodeſt hæc ſibi: non aliis.

Verbena ex Plinio. Compotes votorum facit Chriſtus.

Vt voti fiam compos, contingere frontem
Verbenâ mandat vana ſuperſtitio.
At rata vota fide, Chriſtum quæ prenderit vnum
Commonſtrat nobis integra relligio.

Scopus vitæ Deus.

Cur nauem cæſa pinu tibi conſtruis? an quòd
Sit ſatis, exiſtat ſi tibi facta ratis?
Cur domus exſtruitur? pretium te credis habere
Hoc operæ, fuerit ſi tibi ſtructa domus?

Cur

Cur Samia currente rotâ tibi vaſcula fingis?
Vrceus an ſatis eſt ſi tibi fictus erit?
O vanos hominis ſenſus! laudatur ab vſu,
Quod tu cunque paras, vtile ſi ſit opus.
Non ergo ſatis eſt hominem te noſſe creatum:
Ni vitæ ſpectes nocte diéque ſcopum.
Quis ſit fortè rogas? diuino munere cretus
Factorem noris fac celebréſque Deum.

Hedera. Improbi honorati.

Arboribúſque ſatíſq; nocens, ſerpentibus vmbras
Dans nocuis, necnon mœnia celſa ruens
Stirps hederæ, ſummis aptatur honoribus: iſto
Improbitas fulget nobilitata modo.

Vtilitas voluptati anteponenda.

India fert gemmas: rigidum fert Gallia ferrum:
Vtra magis rogitas rura beata putem?
Vtilitas ferro, gemmis eſt iuncta voluptas:
Hanc illi, nemo qui ſapit, anteferet.

Laurus à vite diſsidens. A vino cauendum laudem quærentibus.

Eſt lauro vitíque grauis diſſenſio: namque
Dicitur hæc illi conciliare necem.
Quiſquis amas viridi præcingere tempora lauro,
Vitigeni fugias eſſe liquoris amans.

Contra illud Horatij; Ille & nefaſto te poſuit die, &c. Ode. 13. lib. 2. Stulti ſibi parcunt.

Immeritum cur te dicis? cur triſtia ligna
In caput accuſas quòd cecidere tuum.

Arbor, Flacce, nihil meruit: cui nosse negatur
Velléque, peccati suspicione caret.
Nam grauis ista fuit tua non curantia, casum,
Imprudens, qui non videris arboreum.
Sic solet insontes culpare, leuare nocentes,
Stultitia: ignoscit quæ sibi, non aliis.

Pulchrum scire quanta nescias. Ex D. Hieronymo.

Pulchrum scire: sed est laudata scientia, si scis
Te nescire: tumor namque ita mente cadit.
Qui se scire putat, nil scit: repletur & aura,
Quæ præter magnum gignit inane nihil.

In Pastores ignauos.

Lustra per octo tulit Moses Madianis in ora,
Ducere palantes per iuga dura greges.
Qui vir! cui Pharij promittebantur honores.
Clarus & omnigenâ cognitione Phari.
Et vos, ô animi molles! tædétue pigétue,
Quas abiens iussit, pascere, Christus, oues?

Ex filice Calix. Humano ingenio nihil ἀδύνατον.

Neglectos quæ multa filix nunc occupat agros,
Vsum in mensarum mox scyphus aptus erit.
Vritur: & multo fit fusilis igne: periti
Et formam flatu concipit artificis.
Miraris? Rude nil, quod non queat arte poliri:
Cedit & humano quidlibet ingenio.

Cordis nouitas.

Argutæ si cor gestetur hirundinis à te,
Charus eris cunctis, fabula narrat anus.

At, faciente Deo, ſi corde recente bearis,
Omnibus, hoc certò credito, charus eris.

Nautea. Mala quædam non mouenda.

Nautea, ni tangas, fœdum non mittit odorem:
Si tangas, teter naribus halat odor.
Et mala ſunt, quæ ſi iubeas requieſcere, nulla
Damna ferent: moueas, tum tibi multa dabunt.

Gladiolus herba. Magiſtratus ignauus.

Ignauus gladium qualem rex geſtet, in iſtis,
Quos palus vda gerit, conſpicito gladiis.
Cuſpide ſunt noti cunctis aciéque: ſed illi
Cuſpide non pungunt, non aciéve ſecant.
Sic gladium lateri princeps accingit inertem,
Commeritos lentus iure ferire reos.

Anchora. Amicitia fida.

Aſpicis vt cymbas luctantes anchora firmat?
Hæc veræ robur monſtrat amicitiæ.
Iactatam nauim vetat anchora ſacra perire:
Aduerſis merſum ſeruat amicitia.

Amicus certus.

Eſſe velim qualem mihi ſi perquiris amicum,
Pars animæ qui ſit delitiúmque meæ:
Nolo Plato dicat: nolo mihi Tullius: illis
Expediam meliùs, pleniùs, & breuiùs.
Quiſquis amat verum conſtanti pectore numen;
Vitáque ſyncerâ cui pietate minùs.
Huius in amplexu viuam moriárque: fideli
Numen amans curâ, fidus amicus erit.

Ex voluptate dolor.

Dulcia quæ nimiùm ſunt, conuertuntur amaram
In bilem: quod erat mel modò,triſte fel eſt.
Sic veniens,nimiùm multis quæſita,voluptas;
Eſt abiens,multo ſæpe dolore,grauis.

Non renuere beneficium ab ignoto.

Non refugis fructus,curuatâ carpere fronde:
Sit licèt ignotâ conſita planta manu.
Auxilium tibi quod ſolers induſtria confert,
Ignoti caueas tu renuiſſe viri.

Ex Chaldæa Cabala. Sapientia ferro ſimilis.

Chaldæis ferro ſapientia dîa notatur:
Auro quæ meliùs ſignificanda fuit.
Quid mirum? Nil eſt quod non ſapientia vincat,
Robore ceu ferrum cuncta metalla domat.

Improbis nulla quies,ex Pſal.1.57.20.

Præcipitis Boreæ fugit exagitata volatu
Gluma manens nullo fixa tenáxque loco.
Sic furiatus agit ſceleratos error:& vndis
Conſimilis pelagi fluctuat improbitas.

Erucæ. Dei exercitus,ex Ioelis cap.2.

Vilius Erucis nihil eſt. Cur ergo cohortes
Has ſolet ipſe Deus ſæpe vocare ſuas?
Nempe famem terris iratus mittere,magnas
Et populis vrbes dum vacuare parat:
Ite,ait,erucæ:populantes gramina paſſim,
Fructibus & foliis exſpoliate ſuis.

Vt iuſſæ

Vt iussæ faciunt:ac tum,velut agmine facto,
Luctifico morsu depopulantur agros.
Dira fames sequitur,languens consurgit egestas:
Cui tristis fit mors sæpe vocata comes.
Impie,qui numen rides,Eruca,volenti
Plectere,nulla Deo tela deesse docet.

Ager senticosus. Mali non emendantur cultu.

Quos tribulis spinísque vides horrescere campos,
Sunt soliti ferro vertere sæpe boues.
Nec radiis illos Phœbus despectat iniquis:
Et tempestiuis irrigat imber aquis.
Cur igitur nullo reddunt sua munera fœtu?
Nempe nocens illis dicitur esse solum.
Sic sacro mentes sparguntur semine multæ:
Et capiunt sancti sensa profunda soni.
Notitiæ tantæ fructus non vllus at exit:
Est animus malus, est mens mala namque malis.

Κάπνος *herba. Omnia fumus.*

Quæ plantas inter surgit quamplurima? Terræ
Quam fumum vocitant,hæc numerosa venit:
Cur verò? Cuncti,qui terræ munere viuunt,
Telluris vanæ fumus inanis eunt.

Ad eos qui fumos vendunt

Vita humana sphæra.

Puncta duo versant humanæ tempora vitæ:
Voluitur vt gemino cœlica sphæra polo.
Primo principium consistit,meta secundo:
Axe quod est medio cura labórque mouent.

Vrtica. Ab hostibus vtilitas. + + vide Plin. chap.

Non tantùm nobis dulces prodestis amici:
Hostibus à duris & bona multa fluunt.

+ In fumosas Imagines.

Sic vrtica(solet quâ nihil infestius esse)
Aduersus morbos commoda multa parit.

Vrtica. Fraus latens.

Est vrtica suo non iniucunda virore,
Vere nouo,quando gramina læta vigent:
Ast illam si fortè manus contingat inermis,
Incautam feriet fraude latente manum.
Sic simulata quibus vafro sub pectore mens est,
Fronte patente placent,fraude latente nocent.

Πολυανδρεῖον. *Corpora humana numero infinita, tandem fiunt quasi nihil.*

Siquis erit,qui,quot sunt hîc sita funera dicat,
Is dicet Lybici quæ sit arena maris.
At de funeribus tot,quæ sit terrea moles
Qui capiat,sensus non magis vllus erit.
Quantula sint hominum quæris corpuscula? monstrat
Mors,numerosa quidem:sed velut esse nihil.

Metalla in fodinis. Resurrectio corporum post mortem.

ἀνάστασις

Quæ terræ cæcis latet aurea bractea venis,
Luminibus cerni puluerulenta nequit.
Ast acies clarum cernentis in arte magistri,
Quæ tellure latent ingeniosa videt.
Et dubitas,an qui lux est Deus omnia cernens,
Omnibus & donans lumina luminibus,
Exiguos cineres,qui corpora nostra fuerunt,
In terræ mersos puluere conspiciat?
Vis ea diuina est:quæ pulchros protinus artus
Esse volet,tenuis qui modò puluis erant.

Rubus. Intractabile genus hominum.

Incautè ne tange rubum:te noxa ſequetur,
Cautâ ni ſtudeas hunc tetigiſſe manu.
Eſt hominum quoddam genus intractabile,quod nî
Deuites,fiet noxa dolórque comes.

Contra illud Horatij, Optat ephippia bos.
Alios non metiri ex ſuo ſenſu.

Optat ephippia bos, cùm dicis,Flacce,videris,
Pace tua dicam,non tibi nota loqui.
Quid ſit Onus,non quid ſit Honos bos nouit;arátq;
Contentus ſortis conditione ſuæ.
Ergo tuo reliquos metiris dum pede,peccas:
His etenim minimè,qui tibi,ſenſus adeſt.

Sol non errat,neque Deus.

Deuius à curſu non errat Phœbus:at errat,
Labentes horas quæ malè virga notat.
Non errat cunctis mundum qui temperat horis:
Errat mundanis terra grauata malis.

De ſenectute cogitandum. Ad illud Eccleſiaſtæ 12. Antequàm floreat Amygdalus,&c.

Cernis amygdaleas paſſim floreſcere frondes?
Inſtantis ſenij te meminiſſe iubent.
Scilicet,vt donec iuueni calor excitat artus:
Doctrinis ſtudeas inuigiléſque piis.
Nam ſimul incipient albeſcere tempora canis:
Non poteris,quanquam diſcere fortè voles.

Sitim non extinguit aſpectus aquæ. Auaritia non expletur auri conſpectu.

Per iuga ſcandentem Iuræ ſitis vrget anhela,
Non tamen hanc releuas,viſe Lemane procul.

Sacra fames vicit multorum pectus auarum:
Pellere quam nunquam lamina fulua queat.

Ebrius domum suam quærens. Vanitas felicitatis Philosophicæ.

Ebrius iste domum se nouit habere:sed illûc
Quâ veniat tandem,nescit inire viam.
Ebria turba,Sophi,multo sermone beatum
In terris hominum prædicat esse genus.
Quî tamen ignorat.Pars est cui gloria:pars cui
Diuitiæ:pars cui gaudia sola placent.
Deuius error agit cunctos:præstare beatum
Nam potis est summi numinis vnus amor.

Coturnix veratro vescens. Insanabilis amentia.

Ortyga commemorant veratri gramine vesci,
Quæ tamen inde magis nil meliúsve sapit.
Curetur studio quanquam væsania multo:
Illam sanarit non tamen vlla manus.

Archidice. Superbia vitanda fœminæ laudatæ. Ex Isidoro Pelusiota & Thucydide.

Quid genus & gazas memorans attolleris? ohe,
Archidices potiùs fac imitêre modum.
Quæ patre rege sata & regi coniuncta marito,
Regibus & natis,diuitiísque potens:
Haud elata,monet fastus odisse superbos:
Si decus eximiæ fœmina laudis amet.

In vita humana parum boni, multum mali.

Voluo,reuoluo meæ fugientia tempora vitæ:
Ætatis varios discutióque gradus.

Quæque

Quęque puer, iuuenis, (pudet, heu!) vir, plurima feci
  Quæ non facta velim ludicra, inepta, mala.
Vtile quod feci, non dicent plurima verba.
  Nil dicam? dicet syllaba cuncta breuis:
O vtinam si vita seni mî longior adsit,
  Syllaba NON promat ludicra, inepta, mala!
Plurima verba sed & res si dant commoda multæ:
  Syllaba tunc vsum verba dabúntque suum.

De Medico indocto iocosum. Ex 1. Aphorismo Hippocratis.

In medicis iactas te desudasse palæstris:
  In quibus est clarum te didicisse nihil.
Mirandi cunctis possum præcidere causas:
  ARS est LONGA: breuis sed tibi sensus inest.

De eodem.

Per mortes hominum grassans & funera, nomen
  Experti medica poscis in arte viri.
Obsistunt multi multis rationibus: at mî
  Interpres magni diceris Hippocratis.
Námque breui multos dum mittis tempore morti,
  Dixerit ostendis quàm bene, VITA BREVIS.

Athletarum status, ex eodem Hippocrate. Et, Summis negatum stare diu. ex Lucano.

Qui validis status est athletis optimus, idem
  Omnino dubiæ proximus est aleæ.
Nempe loco nequeant cùm res consistere summo:
  Vertuntur subitò, quas bene stare putas.

Ad M. Betzunium.

Stare loco nescit.

In Medicos αἰσθητικούς. Ex illo Hippocratis dicto,
Ἐστὶ θεῖόν τι ἐν νόσοις.

Ad Hippocratem Medicum

Morborum caufas dum mentis acumine quæris,
Quod capiat fenfus, quod ratióque refers.
At quantò meliùs, qui nil molitus ineptè,
In morbis aliquid θεῖον ineffe notat.
Fortunate fenex! femper tua dicta manebunt:
In permanfuro numine namque manent.
Numine fed fpreto, qui fenfibus impius hæret,
Ridiculus vanâ cum ratione cadit.

Mundus in fua nequitia idem.

Comica quæ nunc funt ludibria, prifca fuere:
Et quæ nunc agitur fcena tragœda, fuit.
Eft tellus eadem, telluris idémque theatrum:
Non idem, fed qui fpectet agátque, manet.
Ergo ne dicas mutari fæcula; namque
Quæ nunc funt, eadem crede fuiffe priùs.

Stultitiæ miferia comes.

Non abs re folers pictoris dextera iunxit
Fletum Heracliti, Democritíque iocos.
Stultitiæ fiquidem ridenti proxima femper
Triftitiæ miferæ fors inopina fubeft.

In toto orbe nihil eft præter humanam ftultitiam deridendam, & miferiam lugendam.

Cedite Romani fapientes, cedite Graij:
Nam toto vobis rarus in orbe locus.
Aft Heraclitus veniat, Democritus adfit:
Hic vt non fictè rideat, ille gemat.

Rideat

X Le monde est tousjours ...

Rideat hic ſtultos, miſeros ſed lugeat ille:
    His nihil exemptis terra duobus habet.

Væ tibi qui prædaris. Iſa. 33. &, Niniue tanquam piſcina. Nahum 2.

Infortunati nimiùm, qui viuimus alto
    Gurgite piſciculi, clare Lemane, tuo!
Nil niſi præda ſumus, magnis & piſcibus eſca:
    Ingluuiem quorum vix ſatiare datur.
In terris verùm Nemeſis quæ regnat & vndis,
    Fit noſtræ vindex indubitata necis.
Nam tandem, noſtro compaſti corpore, paſcent
    Lurconum ventres indomitámque gulam.
O Niniue (caput Aſſyriæ quæ nobile gentis)
    Piſcinæ fato diceris eſſe pari.
Dum toto prædas & congeris orbe rapinas,
    Præda cadis ſpoliis exſpoliata tuis.

Gloria æterna duratio ἀκατάληπτος.

Hîc, vbi limpidior Rhodanus ſibi copulat vndas
    Alpeſtri veniens, Albula, cote, tuas:
Mirabar cernens labentia flumina: quorum
    Currit ab aſſiduo fonte perennis aqua.
Tum ſubit hæc mihi mens: Nemo ſi dicere poſſit
    Quo fluxæ pacto perpetuentur aquæ:
Æterni quiſquam conſtantia dixerit æui
    Sæcula, te veritis, quæ, Deus alme, paras?
Non mens, non oculus, non auris prenderit illa,
    Quæ ſola veniunt percipienda fide.
Illa tamen norim, Chriſto coniunctus; eíque
    Vt planè iungar, quærere cura mihi.

Sæpe docenda quæ ſunt laudabilia. Ex Platonis Epiſt.2.

Sordibus adnatis tandem vacuetur vt aurum,
  Liquitur in vario percoquitúrque foco.
Vt bene figantur puræ pia dogmata menti,
  Plus vno veniunt hæc iteranda modo.

Depicta epulæ. Pollicitis diues.

Plurima promittis: præſtas pauciſſima: quare
  Non abs re vani nomen habere potes.
Sic oculos pictor non ventrem paſcit inanem,
  E picta ſolitus qui dare lance dapes.

Inuidia tandem fugatur.

Oſtendit vultum Sol? Surgunt nubila: cœlo
  Stat ſummo? tandem nubila ſpiſſa abeunt.
Clareſcit Virtus? Crebreſcunt inuida tela.
  Fortior euadit? tela maligna cadunt.

Nitimur in vetitum. Ex Ariſtotele Ethic.7.c.8.

Dum clauſis tentas riſum cohibere labellis,
  Funderis in riſum, quem cohibere cupis.
Riſus erat lenis, grauis incipit eſſe cachinnus:
  Sic meritò dictum, Nitimur in vetitum.

Loquutuleij & boni viri collatio.

Carneadem doctæ quondam laudaſtis Athenæ:
  Et dixit laudes Sparta, Lycurge, tuas.
Vtrius eſſe velim ſimilem me, quærere pergis?
  Iſte diremptor erat litium: at ille ſator.

Pati quàm inferre iniuriam præſtat.

Intulit hic damnum: ſed damnum pertulit iſte:
Vtrum peiori conditione putas?
Tetrius eſt odium, quàm ſit miſeratio: dignus
Hâc, qui fert: illud, qui facit, emeruit.

Pulſuum corporis humani cognitio difficilis: mentis humanæ nobis impoßibile. Ex Galeno.

Quæ natura foret pulſus (qui corde profectus
Eſt index vitæ non dubius dubiæ.)
Pergameus didicit, luſtris cum fortè nouenis,
Adderet annumerans altera luſtra nouem.
Mentis at humanæ ſi quis vult noſcere pulſus,
Qui tecto necnon Marte patente mouent.
Fecerit id demum, poſtquam innumerabile ſeclum
Addiderit ſeclis innumerabilibus.

Catullus, Tibullus, Propertius, Martialis.

Laſciui cur tot viuunt poſt funera vates,
Multorum caſtus ſi labor interiit?
Caſta placent paucis: delectant turpia multos:
Plurimus hæc, rarus lector at illa terit.
Hinc ſua dant quoniam lectores fata libellis,
Stat laſciua diu pagina: caſta cadit.

Caluities partem capitis periſſe, & breue vitæ ſpatium reſtare monet.

Tegmine tange caput viduum ornatúque pilorum.
Diſces quam reſtet tunc tibi vita breuis.
De toto longum tempus ſpondere quis auſit,
Iam partem cuius deperiiſſe videt?

Persæ nihil Deo distribuebant de victima, ex Strabone lib. 15. Deo mens offerenda.

Dum facerent Persæ solennia sacra, solebant
Inter se oblati didere frusta bouis.
Portio nulla Deo cedebat: namque caducum
Nil optat: mentem vúltque capítque Deus.

Importuna laus Scipionis apud Velleium Paterculum. Laus propria illaudata.

Te fecisse nihil, te nil dixisse quòd inquis,
Quod non laudandum, Scipio magne, foret:
Carperis ore tuo: nam sic te, Scipio, laudas,
Vt laus hæc possit laudis habere nihil.

Morio patiens iniuriæ sibi illatæ, sed impatiens iniuriæ illatæ Christo. Ex Augustin. lib. 1. de peccatorum merit. cap. 22.

Est illata tibi quæ spretæ iniuria mentis,
Hanc tacitè patiens, Morio, dissimulas.
At Christo factam, vindex vlcisceris: istud
Dum facis ostendis, Morio, te sapere.

Innocentia est quauis eloquentia fortior.

Viribus eloquii se multi sæpe tuentur,
Quos non facta probant, verba sed innocuos.
At purum qui pectus habet, Demosthene maior,
Insontem tacito se tegit eloquio.

Hylas Herculis socius, & Hylas Mellanij seruus à pietate laudatus apud B. Hieronymum in epistola ad Rufinum.

Notus Hylas multis Alcidæ charus: Hylas sed
Mellanij seruus vix bene notus erat.

Non

Non tamē ille placet:placet aſt hic. Herculis illum
Clarat amor:pietas hunc & amica fides.
Iunxit Hylam ſtudium necnon par Herculis ætas:
Pura fides iungit nos, pietáſque Deo.

Munifici & Auari differentia.

Munificus quînam multum non diſtet auaro,
Vt breuiter noris, verbula verte duo.
Munificum FACIO, CAPIO ſed gignit auarum,
Hic nam multa capit, pauca nec ille facit.

Lupi vulpibus, Raptores rabulis quærunt.

Præda lupis celata cauo plerumque ſub antro,
Sæpe cibus vafris vulpibus eſſe ſolet.
Raptor auarus opes malè quas cumulauit, iniquas
Præſtabunt rabulis prandia mille malis.

Inanis gloria certaminum Olympicorum. Ex Luciano in Anacharſide. Solida gloria Cæleſtis Olympi.

Heu quantùm ſudat, qui currit Olympia! quantus
Vt reſonent plauſu Græca theatra, labor!
Non tamen hunc vnquam ſublimi dixero mente,
Quem ventus, fucus, fumus honoris agit.
Illius aſt animos mirer, cœleſtis Olympi
Qui palmas validè ſudat & alget amans.
Nam quanquam viuat terris inglorius, orbis
Et calcatus honos omnis inanis eat.
Ad ſolidæ properat dum præmia laudis anhelus
Æternas lauros numine dante capit.

Ad illud Bernardi, Iuſtitia Chriſti eſt homini aſsignata, quia caruit ſuâ.

Væ mihi, Chriſte, ſitum ſi me reſpexeris in me:
In te ſed poſitum reſpice, ſaluus ero.

Namque meâ quia sum planè nudatus & exspes
Iustitiâ, perij, ni tegar vsque tuâ.

Malum est quod non emendatur.

Triste malum morbus: tum verò tristius exit,
Cùm spes venturæ nulla salutis adest.
Castigata malis non sunt mala: pessima sed sunt,
Non, emendentur si mala forte malis.

Pÿ in dolore læti.

Non, quoniam nimbis cœlum conspergitur atris,
Idcircò cæli lucida templa negas.
Nec, quia ieiunis horrent loca squalida tesquis,
Telluris sterilis dicitur esse sinus.
Sic etiam (quamuis nonnunquam surgat acerbus
Sanctorum feriat qui pia corda dolor)
Non ideo dices felicis gaudia vitæ
Esse procul sanctis, quos dolor ille coquit.

Pÿs patria est non natale solum, sed cœlum.

Lustra per octo procul natali limine dego:
Idque fero verâ pro pietate libens.
Nec patriam liqui, patriam sed mente petiui.
Nam patria est cœlum, semita dura solum.

Olitor opportunè vel importunè serens. Mens bene vel malè cogitans.

Semine dum puro conspergitur area pura,
Est opportunum tunc olitoris opus.
Semina lumetis sed si commiseris aspris,
Tunc importunâ sunt ea sparsa manu.
Sensibus & puris mens dedita, gignit amœna:
Sensibus ast eadem gignit amara malis.

Moses

Moses, Cyrus, Romulus.

Præbuit expoſitò nutrix canis vbera Cyro,
Si veterum dictis eſt adhibenda fides.
Et lupa lactauit te, Romule, Tybridis vndâ
Seruatus Romæ conditor vt fieres.
Et Moſi Pharij proſpexit filia regis,
Clarorum ductor qui foret Iſacidûm.
Illorum mores, ſi vis, mirare ferinos:
Hunc ſanctè mitem fac imitere ducem.

Vox cuculi. Mortis mentio.

Eſt cuculi vox grata parum: iucunda ſed exit,
Vicini quando nuncia veris adeſt.
Grata piis, ingrata malis eſt mentio lethi,
Vitam illis, aſt his nuntiat exitium.

Allia quæ cicutis nocentiora dicit Horatius: Theriacen ruſticorum Galenus vocat. Varium de eadem re iudicium.

Allia, lethificis Flacco collata venenis,
Theriacen ruris, magne Galene, vocas.
Hoc vt conciliet, quem paſcunt allia, Vaſco,
Nare ſapit Flaccus, mente Galenus, ait.

Serpentis prudentia ex Ioan. Tzetze. Chriſtus retinendus alijs omiſsis.

Saltibus in Calabris ſerpenti ſæpe latenti,
Vnum ſeruare eſt vnica cura caput.
Hoc ſaluo, reliquo membrorum prouidus orbi
Nil metuit: facili quæ reparantur ope.
Sanctorum caput eſt Chriſtus: caput obtege: nilque
Obſtabunt, quanquam ſæua, venena tibi.

Ad molestum vatem.

Centenas linguas, totidem cum vocibus ora,
Vates, Pieridum pignora chara, petunt.
Hoc ne posce. Vno grauis omnibus ore, necares
Cunctos, ora tibi si data plura forent.

Oleum lucernæ infundendum vt luceat. Docti inopes subleuandi.

Affuso foueas oleo ni lampada, frustra
Lucida de nulla lumina luce petes.
Pallada ni foueant Plutus Iunóque rigentem,
Non edet dignum Pallade Pallas opus.

Importunus honos habitus post mortem Epicteto Philosopho: cuius Lucerna fictilis veniit tribus drachmarum millibus. Ex Luciano.

Emit Epicteti multis qui lampada nummis,
Vidit Epicteti languida membra fame.
Importunus honos fuit hîc post funera: donec
Vixit inops, virtus tunc releuanda fuit.

Auari manus larga & arcta.

Quòd tibi larga manus nimis est, nō nemo fatetur:
Sunt & qui dicant, quòd tibi stricta manus.
Hæc duo concordant facilè contraria. larga est,
Dum capis, at cum das, est manus arcta tibi.

Apud Dei tribunal aperta omnia.

Veste velut positâ, cernuntur corpore næui
Multiplices, tecti qui latuere priùs.
Sic nostros postquam vitalis spiritus artus
Liquerit, & fuerint ora videnda Dei:

Heu! ſruſtra celare velis manantia tabo
 Vndique peccati vulnera lethifero.

Carceris idem introitus & exitus. Omnium idem principium, idem finis.

Carcere clauduntur varij, tamen omnibus idem
 Carceris eſt aditus, carceris eſt abitus.
Claudimur orbe, velut ſpatioſo carcere: cunctis
 Idem finis, idem principiúmque viæ.

Verbum Dei. *Ros in herbas cadens.*
Deutero. 32.

Ceu ros dum virides cadit per agros
Creſcentem ſegetis fouet virorem:
Sic verbi liquor eſt vbi ſacrati,
Tunc mens nectareo rigatur hauſtu,
Tunc mens ambroſia fouetur eſca,
Si ſe crediderit Deo cibandam.
Et quæ languidior cadebat ægra,
Conſurgit vegeto ſtatu refecta.

Corui. Maledica inuidia.

Cerne mihi, paſſis coruorum exercitus alis,
Præterit vt linquens redolentes floribus hortos,
Pratáque cum campis vndantibus: & volat acer
Ad canis eiectum per deuia putre cadauer.
Sic ſunt inuidiæ mores. Laudabile quicquam
Si vicinus habet, regio quod nouerit omnis,
Haud videt: aut minuens verbis geſtúque refellit.
Humanæ ſed ſi veſtes aſpergine labis
Rorantes videat minimæ, veſtigia figit,
Atque tribunitio tumidus declamitat ore,
Hoc vnum cunctis paſſimque palámque reponens.

Populus arbor. Populus hominum cœtus.

Populus hæret humi firmis radicibus: éſtque
Huic index firmæ ſyllaba longa moræ.
At leuis eſt populus, cœtum qui conficit: eius
Eſt leuitas ſpatio iure notata breui.

Corpori non ſeruiendum.

Laudato qui ſeruit hero, non eſt miſer: ille
Sed miſer eſt, ſeruo qui malè paret herus.
Sic dum ſeruitio ſubigit mens corpus, honeſtum
Obſequium eſt: dominæ nam tenet illa vices.
Seruitio mentem corpus ſi deprimit, eheu!
Seruitij turpis ſtigmata fœda geret.

Acuuntur hominum ſtudia mutua conſuetudine.

Quis calor in lapide eſt? lapidē lapis atterat, ignem
Extundet lapidis frigida vena ſuum.
Humani frigent niſus plerunque ſeorſim:
Iunge animos; iunctis gratia maior erit.

Ad illud Pſalmi 126. Qui ſeminant in lacrymis, in exultatione metent.

Semina cum lacrymis multóque grauíque labore
Putribus in ſulcis pergit mandare colonus.
Sic feciſſe iubent ſperatæ tempora meſſis,
Colligat vt plenos ſub aperta falce maniplos,
Area quò grauibus diues denſetur ariſtis.
Sic tu, dum luctu variè tabeſcis amaro,
Aſſiduáque mali preſſus ſub mole gemiſcis,
Mortalis; ſeris hîc: aſt olim meſſis in alto
Spondetur cœlo, plenis quam conferet vlnis
Ille pater, lachrymas oculis auferre ſuorum.

Polli-

Pollicitus,det vt his epulis accumbere diuûm.

Ex 7.Æneidos. Dant animos plagæ. Vexatio dat intellectum.

Qui volat in media nunc turbo volubilis aula,
Cùm non acciperet vulnera,ſtabat iners.
Nunc animos plagæ motúmque dedere receptæ:
Sic animant buxi ſcortea flagra trochum.
O animæ viles!(quibus eſt torpere beatum)
Quî fugiat torpor,flagra trochúſque docent.

Deus nihil præuidet: quia ſemper ei ſunt omnia præſentia.

Quæ ſint,quæ fuerint, quæ pòſt ventura ſequantur
Cernere,cenſetur ſolius eſſe Dei.
Parcite:mî diuerſa placet ſententia:namque
Venturum nil eſt præteritúmve Deo.
Præuidet ille nihil,cuius præſentia ſemper
Cuncta patent oculis,peruia,nuda ſimul.

Ad maledicta reſpondendum,nihil reſpondendo.

Ad maledicta,iacit fræni quæ neſcia lingua
Quid reſpondendum,térque quatérque petis.
Iudice me,nemo meliùs reſponderit illo,
Qui reſpondendum dixerit eſſe nihil.

In illud Petri, κέλευσόν με πρός σε ἐλθεῖν ἐπὶ τὰ ὕδατα. *Matth.*14.28.

In liquidâ Petrus firmat veſtigia lymphâ:
Marmoreo veluti figeret illa ſolo.
Prouolat ad Chriſtum,nullis merſabilis vndis:
Námque fides hunc,non ſuſtinuere pedes.

Aqua calida facilè gelu concrescit. Facilè tepescunt & rigent, qui zelum habent scientia expertem.

Quę modò feruebat, postquàm deferbuit vnda,
Est properè stricto conglomerata gelu.
Qui nimis in primo pietatis feruidus ortu
Extitit, est tepidus: pòst glacialis erit.
Vîx violenta manent: medij nam nescia turba,
Dum fugit extremum, tendit in oppositum.

Detractio non satiatur.

Lassatur morsu dens: est gula fessa voratu:
Ventris & ingluuies fit saturata cibo.
At nunquam solito morsu satiata quiescit,
Quæ malè sæpe bonos lingua maligna ferit.

Contra illud Tibulli, Mala fata bonos rapiunt, &c.

Sæpe bonos, fateor, tangunt incommoda multa:
Sed mala sæpe bonos tangere fata nego.
Nam mala si dicenda, malos quæ reddere possunt,
Nílque bonâ possit pellere mente bonum:
Absit, vt hæc, quæ sæpe bonos incommoda tãgunt,
Infami veniant voce notanda mali.

Oratio probanda quæ prosit, non quæ moueat.

Fulmina grandiloquo fundebat ab ore Pericles:
Socratico simplex nil magis eloquio.
Intulit hic Sophiæ vitalia lumina Græcis:
Græcorum tectis intulit ille faces.
Quærite quæ moueant verborum fulmina, sermo,
Qui prosit, simplex mî facilísque placet?

Auarus

Auarus est crudelis. ex Reg. lib. 1. cap. 2.

Cum vitâ vitem perdit Nabothus auitam:
Et cumulat crimen crimine dirus Achab.
Humani nihil est in auaro pectore: crudæ
Immanísque feræ pectus auarus habet.

Bonum est scire tam mala, quàm bona: hæc vt facias, illa vt vites.

Est bona scire bonum, notis si facta cohærent:
Is bene nam bona scit, qui bona nota facit.
Est mala scire bonum, si pòst non facta sequantur:
Is bene nam mala scit, qui mala nota fugit.

Honoratus post obitum Moses: Iosuas non ita.

Non caruit Moses lachrymis: sed nulla leguntur
Facta Iehosuæ funera cum gemitu.
Hic non quærendos post funera monstrat honores;
Non contemnendos dux prior ille docet.
Spondet vterque tamen certum post funus honorẽ,
Si numen puro viuus honore colas.

Romanus luxus, ex Lucano. Europa luxu periens.

Roma vetus periit luxu, vix ferre decoros
Dum nuribus cultus, instituêre mares:
Nunc iuuenes passim cùm sint, vt fœmina, compti,
Et sit in Europa fermè virile nihil:
Infelix vates, sed verax, dicere cogor,
Europa, exitij limen adesse tui.

Templa Ægyptia, ex Clemente Alexandrino & Luciano. Muliebris cultus incultus.

Ecquis Niliacæ peragrans vaga rura Syenes,

Templorúmque tuens miracula, protinus ipſam
Et molem pretiúmque ſimul non laudet vt artem?
Illic nam ſolido ſurgunt ex ære columnæ:
Lamina quas multo paſſim circum-impedit auro.
Illic & parium fulua cum iaſpide marmor
Argento mixtum puróque micans electro,
Attonitas retinet mentes: ſed Dædala vincit
Dextera materiam: qualem nec Græcia fœlix
Artibus, aut Dominæ nouit ſolertia Romæ.
Quòd ſi quæ lateant penetralibus abdita clauſis
Numina reſpicias, magis admirabere, cernens
Ridiculos multo diuos diuáſque cachinno.
  Námq; minax graditur magno crocodilus hiatu,
Latratórque canis, nudo cum Cercopytheco.
Inſequitur piſcis, ſatura & ſerpentibus Ibis;
Squamoſúſque Draco: ſunt & graueolentia cæpe
Cum porris, & monſtra pudet quæ plura referre.
  Ecce tibi verò ſurgunt Mareotica templa
Europa in media, magnas vadúntque per vrbes.
Fœmina nam gemmis auróque ſuperba, grauíque
Omnibus inceſſu cultúque notabilis (eſſet
Ceu Paphiæ germana) calens ac illius igne,
Eſt Pharium templum, vario ſpectabile cultu
In cute: ſed meritò interna damnabile peſte.

Præſcriptio non eſt aduerſum veritatem. Ex T. 52. de publicis operibus, lib. 8. Codicis Iuſtinianei.

Quæ fœdant vrbis ſpeciem faciémque decoram
  (Sint antiqua licèt) tollere iura iubent.
Quæ fidei fœdant puræque piæque decorem,
  (Extuderit quanquam priſca ſuperſtitio)

Cùm

Cùm nunquam poſſint vero præſcribere (verum
Namque eſt ſemper idem) ſunt abigenda procul.

Mala vox Coruina, ex Auguſtino. Parati differre.

O Nugas hominum! Quid enim nugacius illo,
Qui cras, cras ſapiam, ſemper in ore gerit?
Nam ſi CRAS toties cantatum non venit vnquam;
Vt ſapias, aderunt tempora nulla tibi.
Infelix quiſquis ſapiendi prorogat horam:
Felix qui ſapiens aſtra hodierna videt.

Non ſapientes, ſed ſapientiam venerari.

Eſt qui non raro ſapientes prædicet ore,
Ponat & his ſtatuas marmore de Pario.
Aſt idem, quid ſit ſapientia, negligit excors
Scire: miſer recta ſed ratione caret.
Non libet eſſe bonis: ſatis eſt ſed poſſe videri:
Sint bona nulla licèt, nomina ſola placent.

Felicitas non eſt in terris, ſed apud Deum.

Oppugnántque fugántque ſimul contraria ſeſe,
Nullus & oppoſitum quærit in oppoſito.
Ergo quid in minimis, imíſque, malíſque requiris
Viribus intenſis, Maxima, Summa, Bona?
Deduces magnũ, Summúmque, Bonúmque ſupernè
A Magno, Summo, ſimpliciterque Bono.
Quòd ſi te fieri ſperas tellure beatum,
Falleris: haud quod habet nam dare nemo poteſt.

Vinum nouum & vetus. Dogmata iuuenum & ſenum.

Nata recèns ſi vina bibis, guſtatur acerbus:
Sin antiqua, ſapor mitis in ora venit.

Dogma ſenum veteri ſoleo conferre Lyęo;
At iuuenum contrà confero dogma nouo.

Quis verè vir.

Qui muliebre nihil,qui nil crudele,nihilque
Qui mendax,ſimulans diſſimulánſve facit:
Qui pietatis amat non vanum nomen & vmbram,
Virtutis firmum robore pectus habens:
Hunc hominem minimè vulgi de more vocabo,
Sed præcellentem nomine réque virum.

Optimus orator verbis & factis perſuadet.

Orator,quod vult,aliis ſi ſuaſerit,omnes
Clamabunt properè,Tullius alter adeſt.
Parte ſed orator fuerit mihi ſummus ab omni,
Qui verbis & re ſuadet honeſta ſibi.

Plerique homines ἄλογοι.

Maxima pars hominum caſu temeraria degit,
Et recta quicquam vix ratione gerit.
A ratione tamen ſe nomen ducere iactant:
Scilicet,Euxinum quo mare more vocant.

Aliis commodi,non ſibi.

Tange Chelim digitis,ſonitus dabit icta decoros,
Quos alij,verùm non Chelys ipſa capit.
Commoda ſic aliis quidam ſunt ferre parati,
Qui referunt operæ commoda nulla ſuæ.

Veritas per ſe clara: hominum vitio obſcura.

Ecquid in obſcuris VERVM latitare tenebris,
Ignorans VERI Sceptica turba docet?

Per quod cuncta patent, per quod Sol, mũdus & ipse
Lucidus est, sine quo, turbida cuncta latent:
Offert se cunctis cernendum fronte benigna;
Cernere mens hominum sed tenebrosa nequit.

Veritati non est locus in Magnatum tectis.

Ædibus in regum magnis, mensisque potentum
Cur sedes VERO non bene firma datur?
Regnat ibi mendax & adulans turba; manere
Illic fas non est. Hostis ab hoste fugit.

Regna diuturna quæ adhærent Deo.

Ga(...) Deus.

Qua ratione queant muniri regia sceptra
Vis dicam, lapsu ne grauiore ruant?
Mobilibus quotquot nituntur regna columnis,
Sint robusta licèt, mobile culmen habent.
Immoto sed quæ cum numine regna cohærent,
Stant immota: Deo namque manente manent.

Amor cæcus & non cæcus.

Quæ pugnare putas, non sunt pugnantia: namque
Cæcus amor non est: est quoque cæcus amor.
Cæcus amor non est, ratio quem ducit: at ille
Qui ratione caret, cæcus oberrat amor.

Humanæ laudis auidus.

Ambitiosus aues hominum præconia: sic fit
Vt minimè studeas posse placere Deo.
Cura probare Deo tibi te nam si qua subesset,
Mortalis plausus non paterere sitim.

Musica optatißima.

Musica grata tibi, mulcet quæ leniter aures.
Nec malè: lætitiæ Musica namque comes.

Vtilitas at cui,cui sit coniuncta voluptas,
Dulce tibi paucis malo referre melos.
Fac bene concordent externis intima:pulchra
Affectus fac vt cum ratione quadrent.
Affectus ratióque Deo fac congruat omnis:
Vtile cum dulci nam venit inde melos.

Clementia esca & magnes amoris.

Est hominum generi,veluti sua piscibus esca;
Quæ mentes hominum conciliare potest.
Hæc est humano clementia pectore regnans,
Quæ mollit,vincit,pellicit atque trahit.
Hæc meritò certi magnes vocitatur amoris:
Robore nam tacito ferrea corda ligat.

Geometria præstantissima, est metiri seipsum.

Scire vias cœli,terræque marísque meatus
Metiri,clarâ doctus in arte potes.
Hoc animo præstat solatia magna,Deíque
Immensi mirum noscere donat opus.
At te metiri,te si tibi noscere detur,
Tum tibi continget noscere maius opus.

Inuidi cum Aiace furioso comparatio.

Aiax,quem Danai suum vocabant
Murum,dum sibi nescit imperare,
Diro percitus est furoris œstro:
Ac tum,visceribus suis acutum
Immergens gladium,cadit:cadénsque
Effundit propria manu cruorem:
Quo fulcita manum manus peremit.
Sic quos inuidiæ perurit ignis,
Dum non tam reliquis nocent volentes,

Nolentes

Nolentes ſibi quàm furenter obſunt,
Aiax,ſunt nimiùm tibi propinqui.

Ex 1. *Corinth. cap.*11. *Neceſſe eſt hæreſes eſſe, vt qui probi ſunt,appareant.*

Æquore ceu vaſto præceps ſi forte coorta eſt
Tempeſtas,dextr: m fas eſt nouiſſe periti
Typhis,in excelſa clauum qui puppe gubernat,
Quæ torpebat iners Ponto non nota quieto:
Sic dùm forte FIDEM quatiūt hinc flamina & illinc
Errorum (vecors profert quos turba)pateſcit
Doctor s fidi conſtantia,condita,tunc cùm
Gaudebat lætis pacata Eccleſia rebus.

Non multa legenda,ſed multùm.ex Hugonis Victorini didaſcalico.

Helluo vis dici librorum:namque Catonis
Hæc,inquis,priſci gloria magna fuit.
Aſt vt multa vorans malè concoquit,indit & atros,
(Materiem morbi)ventre capace chymos:
Sic & multa legens nullo diſcrimine,mentem
Pomposâ,verùm mole nocente grauat.
Ergo tibi ſi vis conſultum non malè,multa
Ne lege:ſed multùm fac vt idémque legas.

Mala interna nocentißima.

Quæ pendere ſuâ miraris in arbore poma,
Hæc commendat odor,cúmque ſapore color.
Ac licèt externæ ceſſent incommoda noxæ:
Vermibus innatis perdita ſæpe cadunt.
Et nos(externo licèt haud lædamur ab hoſte)
Carpimur internis corruimúſque malis.

L. S. Vide Mosem.

Absynthium. Censura salutaris.

Sarmatico veniunt absynthia plurima Ponto,
In quorum foliis tristis amaror inest.
At mediam gustes horum si forte medullam:
Quàm fluit hinc dices, dulcis in ora sapor!
Sic censura graui primùm quæ vulnerat ictu,
Mentibus est tandem grata medela bonis.

Vide Ps. Malo me Justus Increpet.

Ignominia est honore afficere indignos.

Sus Pharios dum vertit agros, cùm Nilus abisset,
Edocuit tellus quo sit aranda modo.
Hinc quondam Pharij diuûm dicuntur honores,
Proh pudor! immundæ constituisse sui.
Quid verò tantùm meruit sus dedita ventri,
Humani nunquam vel studiosa boni?
Vt sic, immerito dum sus decoratur honore,
Non homines Pharios constet, at esse sues.

Sal. Modus voluptatum.

Quod salis est expers insulsum rite vocatur.
Nam sale summoto gratia nulla cibis.
At salis est nimiùm si forsan, nascitur vrens
Ora sapor, rodens viscera, membra necans.
Sic parcè cunctis prodest quæsita voluptas:
Sed sine more nocet, quæ sine more placet.

Nisi floreat arbor fructum non fert. Iuuentuti doctrina paranda.

Propter aquæ riuum quæ brachia porrigit arbos,
Flore suo surget tempore læta suo.
Ni faciat, frustra fructum speraueris: & te
Decipiet foliis arbor onusta suis.

E

L. S. N. filio.

Et tu, qui primæ contingis limina vitæ,
Doctrinâ decores ni iuuenile caput,
Si quando robusta virum te fecerit ætas,
Aut infirma senem, nil nisi fungus eris.

Non subtilia, sed vtilia quærere.

Quæris inutiliter, quanquam subtiliter, arbos
Quàm multos hæc sit lata vel alta pedes.
Mî satis ex illa fuerit decerpere fructus.
Quæ iuuat, & non est anxia, cura placet.

Bonus nihil malè: Malus nihil bene.
Ex Platone.

Frigida Saturni non edit stella calores:
Nec gelidas sistit Syrius ardor aquas.
Iuris amans faciet iuri contraria nunquam:
Ius temnens iuri congrua nulla facit.

Pinus. Ad cœlum tendere.

Aspice montigenas, Iuræ miracula, Pinus,
Spectantes, fructu, caudice, fronde, polum.
Et licèt ex ipsa ducant primordia terra,
Non vnquam terram vertice respiciunt.
O si, quod pulchra miramur in arbore, cunctis
Esset propositum nocte diéque sequi!
Vota procul terris fierent, & pectus anhelum
Tenderet ad summi regna beata Dei.

Vanitas felicitatis Aristotelicæ.

Esse negat quando mundanis rebus inane,
Esse negat sese, vanus Aristoteles.
Nam qui mundano felicem somniat orbe,
Hoc, magè inane nihil, præter inane, reor.

Orobanche herea. Xantippe morosa.

Coniunctum stricto nexu quod strangulet eruum,
Nominis hæc fœdi symbola planta gerit.
Quid simile huic dicam quæris? morosa feróxque
Xantippe, est misero dira Orobancha viro.

Eurydice. Mater laudatißima.

O decus Illyricum! mihi non indicta manebis,
Eurydice, sexus gloria fœminei.
Námque tuâ vitâ vitam & de corpore corpus
Non fuerat natis sat tribuisse tuis.
His sed doctrina curasti fingere mentes:
Corporis & mentis mater vt vna fores.
Esses ergo licèt mater iam grandior annis,
Discentis nomen dulce subire fuit.
Et quæ mente tua creuit sapientia: multo
Est studio proli tradita deinde tuæ.
Dimidio nolens hinc dici nomine mater,
Corporis hinc mater, mater es hinc animi.
O verè matres non vna parte beatas,
Fas quibus exemplo gignere posse tuo!

Christi crucem menti infigere.

Cura tibi crucis est scriptis effingere formam
Quâ caro, mors, mundus, qua domitúsque Satan
Quàm mallem Christum posses in mentibus ipsis
Affixúmque cruci figere, vímque crucis!

Hirundo. Dubius amicus.

Vere venis blando: remanes æstate: sub ipsum
Aduenìens terris frigus, hirundo, fugis.
Sic & amicitiæ iactant qui nomen inane,
Aduenìunt lætis, tristibus aufugiunt.

Eadem

X Eis ταυρολάτρας.

Eadem Hirundo Errones ἀπαίδευτοι.

Æquora quid terráſque iuuat luſtrare? Labores
Poſt tantos minimè doctior inde redis.
Indocilis paſſim ſic errat hirundo, vagúmque
Doctrina ſemper pectus inane gerit.

Hilarii Gallos indociles app.

Stella ſtatim ab ortu in occaſum tendit. Naſcentes morimur.

Stella micans roſeo cùm primùm ſurgit ab ortu,
Vergit ad occiduæ limina certa domus.
Et nos, cùm primùm donamur munere vitæ,
Ad noctis trahimur tecta profunda nigræ.

Viator iuglandem ſaxis petens. Ingratus erga benefactores.

Síccine perſoluis grates, ſeruate viator,
Contra nimboſos grandineóſque globos:
Vt cuius lato defenſus tegmine viuis,
Huic abiens, moueas ſaxea bella nuci?
Ingratum mortale genus! bene ſæpe merentes
Cui ſolitum diris exagitare modis.

Contagio corporum ex contagione animorum.

Nil mirum, noſtris ſi ſint contagia ſæuæ
Dira luis, paſſim noxia temporibus.
Dira lues paſſim mores, vah, moribus atris
Inficit, & mentes vertit agítque malas.
Mors venit hinc animis, illinc in corpora tranſit.
Sana animos: fient corpora ſana ſimul.

φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί

Aquilæ pennæ ex Theophylact. Symochato. Tyranni vicinia.

Si volucrum pennis pennas Iouis alitis addas,
Hæ periment illas, vt vaga fama refert.

X. Vide versus Critonii Scoti ad C. Pennium.

Sic te vicino iungas si forte tyranno,
Exitium noris non procul esse tuum.

Clauus fixus apud Liuium. Christus, antidotum contra pestem.

Pelleret vt sæuæ quondam contagia pestis,
Instituit clauum figere Roma vetus:
Vt nostris pellas animis mala sæua luémque,
Figito nos clauis, Christe benigne, tuis.

Precatio, amuletum contra pestem.

Nunc passim grassans sæuit dum pestis in orbe,
Ciuibus euacuans oppida magna suis:
Quæritur antidotus θηρῶν de carne parata,
Quæritur & nomen quæ Mithridatis habet.
Quæritur Armenio tellus à monte petita:
Et mittit glebam Lemnus adusta suam:
Scordia, Dictamni, Dauci, Rutæque petuntur:
Bezoarum petitur, quod fera gignit Arabs.
Scordia sed Daucíque nihil, Rutæque iuuabunt:
Dictamnúsque nihil, Bezoarúmque nihil:
Ni, Deus, arcano plantarum robore robur
Firmet, & effectus imperet esse ratos.
Ergo, pater vitæ mortalibus autor & auctor,
Auxilium fias, præsidiúmque mihi.
Quod si peste manet sententia tollere corpus:
Fac animo pestis non sit vt vlla meo.
Velle tuum sit velle meum: seu viuere detur,
Siue mori, viuam, fac, moriárque tibi.

Apes vipereo cadauere pastæ venenatæ euadunt Malorum conuictus.

Quæ nuper cellis posuit vitalia mella,
Cur nunc lethali vulnere pungit apis?
In promptu causa est: quod cernis putre cadauer
Vipereum, incautæ pabula præbet api.

Sic mites animi, conuictu ſæpe malorum,
Tam ſibi, quàm reliquis, dira venena trahunt.

Benefactorum mors.

Melle faui turgent: manus hos vt carpat agreſtis,
Mellificas triſti morte trucidat apes.
Sorte pari viuunt (cunctis prodeſſe parati,
Et nullis vnquam velle nocere) pij.
Nam benefacta ſolent horum ſic pendere multi:
Vt pendant præter triſtia fata nihil.

Doctor illaudatus.

Quæ laus ſolis erit nudati lumine claro,
Cernere quô quæ ſunt omnia poſſe datur?
Quæ doctoris erit laus, ſi doctæque piæque
Priuatus claro munere mentis erit?

Cedrus. Rex bonus.

Quæ Libani cedrus ſublimi vertice ſurgit,
Te monet officij, Rex venerande, tui.
Quî? petis. Accipitri fiant ne præda volucres
Imbelles, arbos fronde comante tegit.
Raptorum ne fraus deglubat ſæpe popellum,
Si caueas, inopi, Rex bone, cedrus eris.

Cato ebrioſus malus ſobrietatis doctor.

Vinoſum planè pergis te prodere, quando
Eſt laudata tuâ braſſica voce, Cato.
Pocula multa queunt, inquis, ſiccare meraca,
Cruda quibus fuerit braſſica ſumpta priùs.
O vtinam nimio docuiſſes parcere Baccho:
Sic fieres MAIOR nomine réque CATO.

Catonis braſſica

Corui abstinentia ex Theophylact. Symocatho, & Nicolao Leoniceno.

Pauca voluptati deberi, multa saluti,
Quàm bene mortales, prouide corue, doces!
Nam te proluuies ventris dum fœda fatigat,
Sub calidóque premit sydere dura sitis:
Sexaginta ferunt te sic transmittere luces,
Vt tingat nullus guttura sicca liquor.
Sic superat morbum, (mortales discite) longæ
Dum pergit coruus belligerare siti.

Ἀείζωον Semperuiua herba. Vita cœlestis.

Semper-viua vocor: celsa trabe pendula viuo:
Fibra mihi (mirum!) nulla sed hæret humi.
Semper-viuus eris, terræ si fæce remota,
Assiduè cœli sustineare cibis.

Morus & vitis. Grauitas cum vrbanitate.

Est moro vitis, viti gratissima morus:
Morata est morus: vitis at apta iocis.
Quàm grato coëunt geminæ moderamine stirpes,
Tam gratus veniet cum grauitate lepos.

Herbæ Veneris.	*Vmbilicus, Labrum, Capillus, Pecten, Stella.*	*Venere cuncta infecta.*

Vmblicum, labrum, cum pectine terra capillum
Fert Veneris: cœlo splendet & ipsa Venus.
An plantis, stellisve Venus cognoscitur? absit:
Ast hominum fœdat pectora & ora Venus.

In

In Auarum sordidißimum.

Sorte tua viues nunquam contentus, Auare:
Nam miser es solitus viuere sorde tua.
Vtere sorde tuâ, superans non sorte, sed arte
Famosis celebres sordibus artifices.

Bona conscientia. Contra illud Virgilij, Ecl. 3. Bacchare frontem Cingite, ne vati noceat mala lingua.

Absit, ego vario præcingam Bacchare frontem,
Vt minimè noceat lingua proterua mihi.
Hæc fluit à Magicis præcautio vana lacunis:
Delapsum cœlo mî magè dogma placet.
Nil conscire sibi, culpâ trepidare nec vllâ:
Præsentémque animo semper habere Deum:
Virosæ donat conuitia spernere linguæ:
Et pectus firmo firmius ære facit.

Cato laudans inter domesticos dißidium.
Nemo sapit omnibus horis.

Quid Cato vis, tibi rem cùm dicis crescere, seruos
Inter si seritur mutua rixa tuos?
Sis aliâs sapiens: sis MAIOR nomine: monstrat
Hæc vox, omni quòd tempore nemo sapit.
Vtile dum curas, tibi non curatur honestum:
Magne Cato, quisquis sic sapit, ille rabit.

Ex parua occasione magna fiunt. Ex historia Iugurthina Salustij de Ligure milite.

Castellum, Marius quod inexpugnabile credit,
Præstans Marte Ligur, nec minùs arte, capit.

Reptantis cochleæ veſtigia namque ſecutus,
Peruenit ad celſi ſaxea tecta iugi.
Impigro ſic pigra duci dux cochlea, paruis
Momentis verti maxima ſæpe docet.

Iudicis integri & affabilis imago.

Iudicis vna patet manus, at latet altera: prima
Admittit cunctos, nilque ſecunda capit.

Eadem imago Iudicis auari.

Iudicis integri non eſt, vt reris, imago;
Cui manus vna patet, cui manus vna latet.
Namque virum potiùs penitúſque oſtẽdit auarum.
Cuncta patens capit hæc: nil dat at illa latens.

Turdus & Turtur. Laudata ſequenda, Illaudata fugienda.

Inter aues Turdus fertur ſtultiſſima vulgò,
Quo pereat, viſcum nam cacat ipſe ſibi.
Inter aues, Turdus mihi prudentiſſima: namque
Nulla ſilere magis dicitur, inter aues.
Inter aues Turtur commendatiſſima fertur,
Quòd ſit concordis ſimplicitatis amans.
Aſt eadem laudis quæſitæ præmia perdit:
Nam volucres inter garrula nulla magis.
Dogmata dant geminę tibi pręſtantiſſima: namque
Quod fugias monſtrant, quódque ſequaris, aues.

Cygnus. Laus immeritis data.

Vix vlli notum, vates quamplurimus audet,
Laude vehens, cygni dulce vocare melos.
Prodiga ſic multis eſt laudum lingua: ſed illis,
Quid ſit laudandum, vix bene noſſe datur.

Cygni

L. S. contra V. et S.
X
ambitiosalos

Cygni respondentes apud Nazianzenum in epistola ad Celeusium. τότε ᾄσονται κύκνοι, ὅταν κολοιοὶ σιωπήσωσι.

Quos per longa damus Cygni, plerumque sonoros
 Colla modos non exaudiit vllus, ais.
Nec mirum: resonāt streperis nunc omnia gracchis,
 Nostra suaue-sonans vox quibus obruitur.
Fac sileant gracchi, cantantes auris olores
 Audiet, argutum suspiciétque melos.

Famam habent, qui non merentur; non habent, qui merentur.

Cygnea vox, quam se non audiuisse fatetur
 Laudator, laudis multa talenta refert.
Nulli non notus, nulli laudatus, vbîque
 Inter contemptas anser habetur aues.
At bonus est somno plumis: seruátque sopitos
 Voce vigil: pennis seruit, Apollo, tibi.
Iudicium vulgi ride: damnátque probátque
 Quos libet: at non quos ius ratióque iubet.

Anser. Obscura solertia.

Roma meæ debet voci Capitolia: debet
 Et Phœbus pennis plurima scripta meis.
Attamen ignotus notos strepere inter olores,
 Dicor & à multis improbus anser ego.
Commeritâ sic sæpe caret solertia laude:
 Non obscura licèt commoda multa ferat.

Pyrus onusta fructu. Modestia.

Quantò fœta magis fructu pyrus alma beatur,
 Deprimitur tantò fronde ferace magis.

Anser Capitolin9

Vir bonus eſt donis quantò cumulatior amplis,
Effertur donis tum minùs ipſe ſuis.

Cupido ſibi noxia.

Aſpicis vndantem lympham feruentis aheni?
Suppoſitos ignes ignibus aucta necat.
Sic ciet ardentes motus ignita cupido:
Aſt incrementis interit ipſa ſuis.

Eccleſiæ & cœli ciues. Alluſio ad illud Hannibalis ex Ennio: Hoſtem qui feriet mihi erit Carthaginienſis.

Non qui verſutos recoquit ſub pectore gryphos,
Non qui clamoſo diſputat ore frequens,
Non qui verborum phaleras oſtentat inanes,
Ventoſiſque linit turgida ſenſa ſonis:
Sed fidei clypeo qui tectus, carnis & orbis
Et Satanæ feriens fuderit arma trucis:
Ille mihi Chriſti ciuis dicetur in vrbe;
Municipem faciet numen & eſſe ſuum.

Merope auis. Ἰδιογνωμοσύνη: quam vulgò barbarè Singularitatem vocant.

Cũ reliquæ prorſum, Merope volat vna retrorſum:
Et nidum pullis cæca ſub antra locat.
Ne mireris auem reliquis aduerſa patrantem:
Sunt homines reliquis quos piget eſſe pares.

Ad illud Salomonis Prouerb. 22. Diues & pauper obuij ſunt alter alteri.

Qui ſtellis fecit numeros & nomina, ſtellas
Diſſimili fecit lumine, mole, gradu.

Idem

M. Le Jeu
M. L'Abbé de Clermont.
Le Jeu

Idem mortales qui ſemine protulit vno,
Vult vt diſſimili ſtent maneántve loco.
Ille ſolo iacet,at ſolio ſedet iſte:beatur
Hic ceu rex; hic ceu fæx miſer abiicitur.
Hinc Irus Crœſúſque viâ gradiuntur eâdem:
Nec caſu fiunt hæc,ſed agente Deo.
Qui quia me tenui poſitum vult ſede locare,
Non tenui tenuem ſorte beare parat.
Quòd ſi fortis opes animo contempſero,Crœſum
Iro continget tum ſuperare mihi.
Diues,honoratus,rex fiam denique:quanquam
Sim nihil.Eſt maior mens bona diuitiis.

Ad Chriſtum ſpinis coronatum.

Occultant virides paſſim ſpineta lacertos,
Vt calor his Phœbi non queat eſſe grauis.
Ne noceant Erebi mihi flammea ſpicula,ſpinis
Contege me:Satanam contere,Chriſte,tuis.

Vt ſydera parua videntur vulgò : ſic pij vili loco habentur vulgò.

Sint maiora licèt totâ tellure,videntur
Exigua exiguo ſydera clauſa loco.
Sic ſanctos,pietas quos clarat,vulgus ineptum
Aut nullo aut minimo deputat eſſe loco.

Paſſer. Veneri dediti μικρόβιοι.

Quid pereat miſeris,qui Cypria caſtra ſequuntur,
Paſſere,ſi neſcis,ſcire,docente,potes.
Inter aues viuit non vlla ſalacior:inde
Inter aues vlli vix magè vita breuis.
Pronior in Venerem ſic qui diffunditur,illi
Et breuis & fallax eſt,quia vita ſalax.

Sydera lapsa sub terras. Virtus post fata clarior.

Astra micant terris? credas non magna: sub vndas
  Conduntur? subitò maxima facta putes.
Digni laude viri viuunt? nescitur eorum
  Virtus. Occumbunt? Noscitur illa palàm.

Ostreum gemmiparum. Dogmatis cœlestibus hærendum.

Vt cœli rorem captet, diducitur: arctis
  Clausa labris (subeat ne mare) concha manet.
Scilicet, haud pelago, sed cœlo semina quærit
  Vnio, Neptuni gloria Panchaïci.
Sic qui gemma Deo fieri gratissima quærit;
  Non hominum quæret, verba sed alma Dei.

Centrum. Cor fons boni & mali.

In medio punctum quod circinus efficit orbe,
  Virtuti & vitio quæ sit origo docet.
Linea nam veluti partes hinc omnis in omnes
  Recto vel curuo tramite carpit iter.
Pectoris è centro sic laus virtutis amœna
  Profluit, & vitij ducitur inde lues.

Declina à malo, & fac bonum. Psalm. 34.

Niliacos fines & pinguia culta Canopi
  Linquere, quid vobis profuit Isacidæ?
Dulce fuit potiùs lactis mellísque fluentes
  Fonticulis agros prendere Chananeæ.
Nil iuuat errores procul amandasse nefandos,
  Si purum recti non ineatur iter.

Linum.

Linum. Per multas calamitates in cœlum tenditur.

Ad martyrium.

I. Quæ ſeges hæc? ℞. Lini. I. Cur hanc tellure reuellis?
℞. Ni facis, ampla licèt, nil iuuat iſta ſeges.
I. Hãc cur mergis aquâ? ℞. Sic eſt macerare neceſſe.
I. Cur ſoli expandis? ℞. Siccet vt inde calor.
I. Cur hanc fuſte quatis? ℞. Stipula vt vacuetur. I. Acuto
Cur pectis ferro? ℞. Vt libera ſorde ſiet.
I. Cur tandem in filum fuſo tenuatur? ℞. Vt inde
Textoris fiat commoda tela manu.
I. At lini ſortem qui narras, incola cœli
Vis fieri? ℞. Hoc ſenſu, pectore, voce peto.
I. Eſt ſubeunda tibi lini ſors? ℞. Fare, age, quînã?
I. Non hærere ſolo te decet, immo polo.
Ærumnas perferre graues, perferre pericla,
Cúmque labore crucem, cúmque dolore necem.
Sic etenim pietas duris exercita rebus
Emicat, & cœli ſede triumphat ouans.

Ruta ficui propinqua. Doctorum vicinia.

Χρηστῶν ὁμιλίας L. S.

Ruta ſapore graui eſt: ſed ſi ſit proxima ficus,
Lætus erit, triſtis qui fuit antè, ſapor.
Sic docto forſan ſi ſit vicinus agreſtis,
Cultior euadet qui rudis antè fuit.

In illud Pſalmi 36. Torrente deliciarum tuarum potabis.

Ad fontem Bonum L. S.

Mortales vrgent miſeros mala multa, ſed ægrâ
Vix quicquam credo durius eſſe ſiti.
Quam ſi dulcis aquæ detur reſtinguere riuo,
Hac dicetur aquâ dulcius eſſe nihil.

Mens aret mihi, summe Deus: si fluminis, ad quod
Inuitas, detur carpere delitias.
(O me fœlicem!) lympha potúque salubri
Mortalem dabitur tunc releuare sitim.

Nouacula Chirurgica. Seueritas Dei temperata benignitate.

Cote tuos acuens scalpros, Chirurge, refuso
Ferrum demulces vnguine Palladio:
Aspera sic rigidè feriunt quæ spicula sanctos,
Tincta madent mitis semper amore Dei.

Glycon. Lat. Pulegium. Pietas illustratur aduersis.

Omnia dum rapido consumit Syrius æstu,
Est solitus Glycon flore vigere nouo:
Dum furit immanis rabies ignita tyranni,
Flore nitet pietas tum magis aucta suo.

Hirudo. Vnde vita, inde mors.

Audiui, & gemui: non plena cruoris hirudo
Cùm caput in iuuenis linqueret atra cute.
Hinc cœcum toto perrepens corpore virus,
Luctificæ corpus dat iuuenile neci.
O sortes hominum dubias! Mors prodit ab ore,
A quo vitalis spes veniebat opis.

Echo. Vxor prudenter silens.

Vocis imago vocor: lusus fero sæpe iocosos:
Præteriti reddens signa fugata soni.
Nostra tamen coniux imitans vestigia, laudis
A proprio referet præmia certa viro.
Hoc rogitas quid sit? Coniux gratissima fiet,
Quæ, nisi vir præeat voce, silere sciet.

Lampas

Femme qui se tait
sagement
La parole ne change pas
devant le ...

Lampas accenſa. Zelus ardens ad pietatem docendam.

Plus ſatis eſt olei, myxorum plus ſatis: ecquid
Non totam illuſtrat magna lucerna domum?
Scilicet ignis abeſt, qui flammea dona miniſtret,
Quo tenebris pulſis ſplendida quæque micent.
Sic licèt ingenij laudetur acumine doctor,
Et variæ dotes hunc ſuper aſtra ferant:
Dicentem zelus ſi non ſuccendat & ardor,
Zelus in algenti quis queat eſſe grege?

Facilitas & conſtantia in virtute.

Cærea laudabat quidam mihi pectora nuper:
Et, qui laudaret ferrea, nuper erat.
Vtraque, ſi iungas, ſententia perplacet: at ſi
Seiungas, ratio tum mihi neutra placet.
Laudo virum, ſacræ virtutis dogmata qui ſit
Cæreus vt capiat, ferreus vt teneat.

Iſraëlitæ lateres coquentes. Terrenis addicti ærumnoſi.

Dum luteos recoquunt lateres fornace, coquuntur
Continuò ærumnis triſtibus Iſacidæ.
Sic quicunque luto terreno deditus hæret:
Tunditur ærumnis Heu miſer aſſiduis.

Mola verſatilis ex Caſsiano. Mens hominis bene vel malè ſemper cogitans.

Impoſitus lapidi lapis orbe perenne rotatur,
Nec datur huic vnquam vel mora vel requies:
Subiice triticeas fruges, mola verſa parabit
Commoda viſceribus tunc alimenta tuis.

At lolium si des infelix forte molendum,
Effluet infelix trita farina tibi.
Hinc animi speciem non tardus dispice nostri,
Absque quiete labor quem mouet assiduus.
Vtile versandum si quid des, vtilis inde,
Qui latè, fructus, percipietur, erit.
At mala si menti malè sanæ sensa ministres,
Illinc prodibit perniciosa lues.

Artemisia herba. Coniugalis amor.

Fœmineis soleo morbis succurrere: nomen
Inde suum nobis Artemisia dedit:
Quæ viuum tanto dilexit amore maritum:
Defuncti cineres huius vt ebiberit.
Qui me cunque vides, reginæ nomen & audis:
Dic, quàm multa potest connubialis amor!

Lamium innocens herba, apud Plinium.

A reliquis, reliqui desumant symbola, plantis:
Vt pingant animi signa notata sui.
Stirps placet vna mihi Lamij: quæ continet orbem
Virtutum, dum non dicitur esse nocens.

Non nocere & prodesse.

Esse nocens Lamium non vllus dixerit, atqui
Hæc minimè laus est vltima, prima licèt.
Nam malè qui nullis, bene sed facit omnibus, illi
Obtingit summus laudis in arce locus.
Hinc Lamium nocuum nullis, ast vtile multis,
Indolis opto sit vt tessera certa meæ.

Sorba:

Sorba: quibus opponitur ingenium non mitescens.

Austero fuimus nuper malè grata sapore:
Tempore sed tandem mitia sorba sumus.
Quàm multis hominum dispar natura modúsque!
Mitia qui nunquam sumere corda sciunt.

Tarditas assiduitate superanda.

φιλοπονία

Quæ leuibus sedes non est ignota columbis
Occupat hanc gressu cochlea tardigrado.
Tardius ingenium si sit, labor improbus adsit;
Ardua tum dabitur scandere quæque tibi.

Morus arborum sapientissima apud Plinium. Virtutis laus ex rebus ipsis.

Nullum stultitiæ vox moro dedecus adfert:
Vnica præ reliquis nam sapit arboribus.
Et quo dicaris ne cures nomine: sat sit
Si virtus adsit vera reapse tibi.

Martialis. Obscœni scriptores & lectores.

εἰς αἰσχρολογίαν

Bilbile quod natus vates cognoscitur orbe
In toto, & tota lectus in vrbe placet,
Ne mirere: pares paribus gaudere suescunt.
Scribentem lector turpia turpis amat.

Apelles apud Plinium. Non quàm multùm, sed quàm bene.

Ipse licèt coràm minimè vidisset Apellem
Protogenes, certò dixit adesse tamen.

Vnica namque manu ſolerti linea ducta,
Coum, non alium, prodidit artificem.
Non laudatur opus numero vel mole, ſed arte:
Et placet eximium, ſit licet exiguum.

Anas. Pectore ſapere.

Non laudatur anas menſis, quia pectore tantùm
Et ceruice ſapit: cætera danda coquo.
Quàm non laudari ſic vellem! pectore namque
Qui ſapit, hic laudis culmen ad vſque venit.

Ad illud Iuuenal. Saty. 5. faciẽt optata tonitrua cœnas.

Exhilarant menſas optata tonitrua: magno
Tubera prouentu namque ea ferre ferunt.
At terrent eadem mentes formidine: mauult
Gaudia menſæ quàm mentis habere gulo.

Amphisbæna. Ore & ſcriptis maledici.

Ore vomis Stygio maledicta madentia tabo:
Et Stygiis ſignat dextera verba notis.
Sic gemina geminis armatur parte venenis
Amphisbæna, ſuum virus vtrinque vomens.

Coruus innocens plectitur. Aquilæ nocenti parcitur.

Laudantur multis aquilæ: teſtáque lutóque
Perſequitur coruos obuia quæque manus.
Hos tamen innocuos alit agris vile cadauer:
Aſt illis fiunt corpora viua cibus.
Et mirare malos vulgò plerunque beari,
Inſontes nulla ſed ratione premi?

Συμφυέσθαι Chriſto.

Quid pyrus iſta pyro differt? hæc gignere mites
Conſpicitur fructus: ferre ſed illa feros.

Ecquæ

Ecquæ causa? potest plantarum vertere morem
  Insitio, agricolæ quam facit apta manus.
Cur homini præcellit homo? fit σύμφυτος ille
  Cum Christo: fructus gignit & inde bonos.
Ast hic, è veteri trunco qui cretus Adami,
  Non mirum fructus si trahit inde feros.

Noctua. Ἐπιχαιρεκακία.

Dum piceos aër fundit de nubibus imbres,
  Insolito garrit noctua sola sono.
At rutilum splendet cœlum si sole corusco,
  Sola silere solet languida noctis auis.
Alterius quicunque malo lætare, bonóque
  Tristis es, infaustæ consociaris aui.

Eadem noctua. Non deprimi aduersis nec exultare lætis.

Dum pluit insolito fit garrula noctua more:
  Et si suda dies, tunc taciturna silet:
Quærendum tristi solamen tempore: læto
  Non exultandum, noctua fida monet.

Γλυκύπικρον *vulgò Amara dulcis. Solanum lignosum planta. Crux piorum.*

Hæc stirps, est primùm succo quæ tristis amaro,
  Fit properè dulci lætus in ore sapor.
Sors crucis est eadem sanctæ: nam tristis amaro
  Principio est: dulci fine sed illa beat.

Vitia ex blando otio.

Quos culices, bruchósque vides, & cætera, lætos,
  Agmina, quæ passim depopulantur agros:
Frigore non vsquam carpebant luminis auras:
  Sed vernans Maij procreat hosce tepor.
Pellitur aduersis vitium, rebúsque secundis,
  Pullulat. ô hominum perdita luxuries!

OTIVM apud Horatium

Florentis arboris & canescentis hominis comparatio.

Vere nouo, frondet niueis dum floribus arbos,
Vitalis fructus spes venit agricolis.
At nobis, quando florescunt tempora canis,
Tunc est vicini nuntius interitus.

Anchusa herba apud Dioscoridem. Verbum Dei.

Téne, (licet plantas humiles conscriberis inter)
Anchusa, indictam carmine prætercam?
Tu generi nostro præsens medicina: venenum
Vipereo: munus cœlitus hocce venit.
Ore suo mansam si quis iacit anguis in ora
Anchusam, dabitur vipera dira neci.
Hoc magnum maiora docet: si perdere tentans,
Afflarit mundus tetra venena mihi,
Pectore & ore geram verbum cœleste, quod instar
Anchusæ, Satanæ frangere tela potest.

Inepta admiratio vetustatis.

Quæ nostras aperit cœnas lactuca, priorum
Clausit, & haud possis has reprobare vices.
Tu stolidè veteres mirans discrimine nullo,
Audebis nigrum figere Θ nouis?

Lupinus. Segnities.

Mirificè tellus narratur amata Lupino:
Hunc ab eâ nam vix dissociare queas.
Primus humo plantas inter committitur, inter
Et plantas omnes vltimus hæret humi.

Quæ

Vide Eubosi a pen.

λόγος Θεοῦ.

X (Contra segnes.)

Quæ ſtirps ſegnitiæ ſi non eſt teſſera, fallor:
 In lento lætum cui reſidere ſolo.
Ergo Lupinus habet ſuccos vt triſtis amaros:
 Sic eſt in ſegni pectore dulce nihil.

Tygris apud Chryſoſtomum. φιλαυτία noxia.

Εἰς τοὺς φιλαύτους

Dum ſtruit inſidias venator Tygribus, aiunt
 Illum per medias ſpargere vitra vias.
In quibus admirans propriæ veſtigia formæ,
 Induit in tenſas ſe fera ſtulta plagas.
Quiſquis amore ſui (quis non?) cæcutit, amoris
 Tygridis exemplo damna caueto ſui.

Ferrum rubigine abſumptum. Violentia ſibi noxia.

Permulti ferro pereunt, rubigine ferrum
 Ex ipſo ferro prouenïente perit.
Sic violenta manus cunctis, damnoſa ruinæ
 Præcipitis cauſas fabricat ipſa ſuæ.

Carthago bene morata. ex Apuleio.

Muri et mores Carthaginis

Cura ſenum quondam clara Carthaginis vrbe
 Doctrinam verbi tradere prima fuit.
Cura fuit iuuenum doctrinam prodere factis:
 Doctrinam pueris diſcere cura fuit.
I nunc, excelſas lauda Carthaginis arces:
 Abſit at vt muros moribus anteferas.

Continua garrulitas.

Auroram cantu criſtatus præuenit ales:
 Manè ſed à celſa garrit hirundo trabe.
Ad medium ſolem cantillant voce cicadæ:
 Serò vlulæ querulos funditis ore ſonos.

Vespertina tenet sed tempora noctua: notus
Ferali bubo carmine nocte gemit.
Horas & volucris sortitur quæque tacendi:
Perpetua tu nos garrulitate necas.

Rabulæ morbo anginæ obnoxij.

Per quæ quis peccat, punitur & ille per illa:
Vt recta statuit ius ratione vetus.
Et mirum rabulas (quibus haud innoxia lingua)
Anginâ linguam corripiente mori?

In eosdem.

Præcipitis quænam dicatur causa Cynanges,
A Coo memini me didicisse sene.
Sed cur causidicos hæc labes sæpe prehendat,
Iustitiæ cunctis cognita norma docet.
Nam quo peccatur membro, sancitur eôdem
Peccati pœnas pendere quemque sui.
Hinc quiá Causidici non raró lingua maligno
Pure tumet; linguâ sæpe tumente perit.

Intacti à flammis tres Danielis socij. Danielis cap. 3. vers. 27.

Cur teneros iuuenum lambens, repénsque per artus
Corpora non potuit carpere flamma vorax?
Ardebant toti flammâ pietatis & igne:
Cedere maiori est flamma coacta minor.

Eorundem exemplo ægrotus εὐχαριστεῖ τῷ θεῷ.

Delectus iuuenum flos Abrahamidum,
Quos ardens pietas iussa tyrannica
Expleuisse vetat; membráque feruidis
Absumenda rogis tradere compulit,

Terrarum

Terrarum Dominum dum metuunt Deum:
  Dum præter ſolitum flamma furit ferox,
Artus & teneros ſollicitat procax,
Cantauere melos ore pium pio,
Seruanti Iehouæ vocibus editis.
  Mî, quem lectus habet morbidus, arida
Dum febris recoquit viſcera torrida,
Sit ceſſare nefas: Laudibus at tuis
Laudes accumulans, ô Deus, inclytas,
Agnoſcam facilis munera dexteræ
Teſtantis bonitas quàm tua multiplex.
Sit laus ergo tibi: ſit decus: & tuum
Numen concelebrent omnia, viuere
Et ſpirare quibus das, bone, das potens:
Et dicant, tua ſit quanta potentia;
Nec non quàm bonitas ſit tua multiplex.
  Nam corpus feriens verbere languidum:
Tu mentem recreas munere viuido.

In quadraginta martyres frigore peremptos apud Baſilium.

Diriguere gelu ſanctorum corpora, quorum
  Diuina mentes concaluere face.
Ille calor viuas mentes ſuper aſtra locauit:
  Mortua cryſtallus corpora ſtricta tenet.
Hoc durata modo perſtant in ſecula: Sancti
  Æterni gemina parte ab vtraque manent.

Note pour les Capucins morts de froid par Melun.

Raptores eſurient.

Nonne vides mites nutriri farre columbas,
  Innocuum quarum cernitur eſſe genus?
Vnguibus aſt aquilas vncis roſtróque minaces,
  Importuna ſolet ſæpe necare fames.

Sic tibi criminibus læto raptóque potenti,
Continget, præda deficiente, mori.
Innocuos contrà (luctas & prælia quanquam
Sustineant) cœli nutriet alta manus.

Supra 2

Dei cognitio non nisi à Deo.

Sol velut exoriens se monstrat & omnia; Phœbum
Nec sine Phœbea luce videre queas:
Sic Deus illucens donat se nosse: Deúsque
Ni doceat, doceat noscere nemo Deum.

Christus omnium domitor. ex Danielis cap. 2.

Durius argentum est auro: sed mollius ære:
Est etiam ferri durior ære rigor.
Mollior at lapis est ferro: cur ergo recisus
Monte lapis minuit cuncta metalla tener?
℞. Hæc hominum cõposta manu, dare robur & æuũ
Imperiis firmum, quo caruere, negant.
Ille sed ætherio dependens fornice: nil non
Suppositum cernens, disijcit oppositum.

Vna ars. Ad illud Platonis, εἷς πρὸς ἕν.

Mercurius cytharæ faber est scitissimus: idem
Factæ plectra lyræ læta mouere nequit:
Est Phœbus cytharam doctus pulsare: sed idem,
Quam cytharam pulset, vix fabricare potest.
Est satis excellas vnâ si clarus in arte:
Vix vllus geminæ præmia laudis habet.

Πολυτεχνία laudabilis.

Quod cuncti norunt, fas vni nosse: capítque
Mens (veluti speculum) quodlibet obtuleris.
Ergo segnitiæ velamen quærere cessa:
Dum præstare vna dicis in arte satis.

cum [illegible] Mediocrum

Ars

+ Ad illud traitent [illegible]

Ars eſt vna tibi? manus eſt velut vnica: multæ
  Sunt artes? totidem dic & adeſſe manus.
Vix placet ex vno quæ flore corolla paratur:
  Floribus è iunctis ſerta parata placent.
Vnius eſt artis vix cognita gratia: multis
  Artibus vtilitas multa ſubeſſe ſolet.

De Caunia admirabili agri Dunenſis fluuiolo.

Quærere Niliacos ortus auctúſque remotis
  Montibus Æthiopum, deſine, docta cohors.
Quæ Dunenſis arat Bæalſica rura colonus,
  Æquoris æqua modo, vix bene nota niui,
Sollicitâ quod mente queas diſquirere, præbent:
  Et, bene ſi referes, tum mihi Phœbus eris.
Hybernis dum rura natant humentia nimbis,
  Cunctáque limoſo ſunt adoperta luto.
CAVNIA non auctus, minimo ſed defluus amne,
  Effundit laticem limpidioris aquæ.
Æſtiuo ſed cùm ſitiunt ſub ſydere campi,
  Fontibus areſcunt Naïadéſque ſuis;
Margine terrarum pleno decurrit aquæ vis,
  Spumiferiſque ruit turbida lympha vadis.
Quòd ſi fortè ſuo iam non comprenditur alueo,
  Exiliens metas exuperátque ſuas.
Heu! mala quanta ferent (longo firmatur id vſu)
  Dira fames ſecum, funera quanta lues!
I procul, vt videas Pharij miracula Nili:
  In patrio poſſum mira videre ſolo.

La riuiere de la Caunie
Le Nile de la France
En Dunois

De Hiera alio eiuſdem agri Dunenſis fluuiolo ſub terras ſe identidem condente, & ex iiſdem emergente.

Cantat Iberus Anam: Lybs Nigrin prædicat ater:
  Cur Hieram taceat noſtra Camœna ſuum?

Qui quanquam fluuios vix inter nomina ponit,
  Audet ſe magnis æquiparare tamen.
Nam tenui nitidum poſtquam caput extulit ortu,
  Illud idem condit ſub ſola cæca caput.
Antra ſed hic latitans poſtquam per nigra cucurrit,
  Æthereis auris ſe dat,& arua rigat.
Rurſus at excedens campis,inuiſus,in antra
  Altera ſe condens,nigra barathra petit:
Donec ſpeluncis & clauſo carcere liber,
  Se dedat Nymphis,Arula clare, tuis.
Quòd ſi,quæ ceciniſtis Anan Nigrínque,Sorores
  Dicere tentetis ludicra furta Hieræ:
Quantò Hierâ maior,Nigris celebratur Anáſque,
  Tantò Hierâ maior,fiet vterque,minor.

Panacea. Fides.

Non tantùm certis ſunt conuenientia morbis
  Pharmaca:quædam ſunt omnibus apta malis.
Laudatæ virtus Panaceæ monſtrat idipſum:
  Corpore quæ morbos diſcutit omne genus.
Mentibus eſt etiam Panacea dolentibus vna,
  Quâ mentis languor diffugit,alma Fides.

Procul à peccati ſpecie.

Præcipiti quicunque loro vicinus oberras,
  Heu! fuge,ne lapſu deiiciare graui.
Nam ſtes ipſe licèt,tibi ſi tremor aut ſtupor artus
  Occupet,hoc aderit certa ruina loco.
Sic tibi ſi fuerit peccatum vincere cura:
  Omni peccati ſis procul à ſpecie.

Inquilinus in alieno habitãs. Corpus eſt templum Dei.

In lare non proprio cùm degas incola,pecces
  Ni Domini arbitrio non tua tecta regas.

Corpus

X Vide D. Paulum.

Corpus habes, ſacram ſancti ceu numinis ædem:
Hac vti nutu numinis æde decet.

Non imitandi Aurifices. Nobis non alÿs virtus quærenda.

Non ſibi, quæ geſtet baccata monilia, verùm
Matronæ, manus, ars & facit aurificis.
Qui fuco vacuum vis pectus habere, videto
Virtutem quæras vt tibi, non aliis.

Spina. Peccatum.

Tangere qui dextrâ ſpinas conaris inermi,
Punget, ſi tangas, horrida ſpina manum.
Qui peccare paras, ſpinis pungeris amaris:
Vnde grauis veniet corda per ægra labor.

Moriendo ridens. Voluptas lethifera.

Hic atrâ mortis iam circumuoluitur vmbrâ:
Riſus at extremis inſidet in labiis.
Quid cauſæ eſt? læſo moritur diaphragmate: cuius
Fibra, leui cordis cuſpide tacta, ſalit.
Sic, quibus imponit mellitâ fraude voluptas:
Cum riſu mortis triſtia regna petunt.

Ophiogloſſa herba.

Lingua venenati qui paſcitur anguis in herba,
Mortales multos dat mala ſæpe neci.
Herba ſed in pratis Serpentis Lingula dicta,
A dirâ multos liberat alma nece.
Plectere cùm iuſtus iudex vult, vtitur illa:
Vtitur hac, ſed cùm vult releuare bonus.

Ineptè verbosius prælatus silenti. Glaucus arma ænea aureis anteferens.

Aurea scuta sonum minimum dant: ænea magnum.
Hæc illis Glauci prætulit inde stupor.
Et tu, verbosum prefers dum fortè silenti,
Annon Glaucina credulitate stupes?

Apes & Aranea. Labor laudatus & illaudatus.

Otia quod vites laudo: nam crimina gignit
Noxia torpenti corpore pigra quies.
Sed magè laudarem, magno si fortè labori
Vtilitas iustâ lege remixta foret.
Sic apis vtiliter volitans operatur in hortis,
Dædaleísque parat commoda mella fauis.
Pendula sic nunquam cessans feriatur arachne,
Assiduus sed fert commoda nulla labor.

Mediocris sors optima.

Frondentes motant suprema cacumina quercus:
Sed stabiles truncos infima quercus habet.
Elatus tumidis qui se commiserit auris,
Hunc firmo flatus non sinit esse loco.
Tramite sed tacito sensim qui pergit, habebit
Otia tranquillæ tutus amata viæ.

Respublica sine bonis legibus.

Compages si sit neruorum fortè soluta,
Vitæ meta breuis non solet esse procul.
Sic quæ non firmis legum Respublica vinclis
Arctatur, languet corruitura breui.

Cor firmum. Cor infirmum.

Rostello vermis pertundit mollia ligna:
Robora dura tamen conterebrare nequit.

Mollia

L. S. Aurea mediocritas

εὐθυμία
L. S.

Mollia triſtificæ conſumunt pectora curæ:
Abſumit nullus fortia corda dolor.

Hydropis ebrioſi curatio.

Ex vnda bibulis traxit quam vitis arenis,
Aprico factum eſt ſole coquente merum.
Tu nimio venas inflans & viſcera Baccho,
In primas hydrops vina reducis aquas.
Quas demum pelles, ſi mutes humida ſiccis:
Et Lymphæ fias immemor atque meri.

Paſtor & grex. Chriſtus trahit ſuos ſponte ſequentes. Ex D. Auguſtino.

Cernis ouem, quam cura trahit paſtoris amici,
Protenſo Cythiſi florentis olente maniplo?
Hic trahit; hæc trahitur: ſequitúrque haud ægra vocantem.
Sic nos, Chriſte, trahis: poſtquam lethale retundis
Naturæ peccantis opus: cùm ſemine ſacro
Nos facis eſſe tuo gratiſſima pignora Patri.
Sic tracti ſequimur: noſtrum nam velle tuúmque
Inter ſe iuncto gaudent decurrere paſſu.

Picus Martius auis. Laudata propria tenuitatis conſcientia.

Nec cantare bonum, nec reſpondere paratum:
Se rauco picus nouit at eſſe ſono.
At tu, ſolertis naturæ munera cerne:
Quámlibet incultæ, prouida, quæ dat aui.
Illa auium nouit cœtus vitare canoros:
Et fugit errantes læta per arua greges.
Illa haud ſollicitat paſtorum cantibus aures:
Illa viatorum non remoratur iter.

Sed fugiens, syluas properat se condere in altas;
 Cantet vt annosis quercubus aut platanis.
Tum verò sola secum sublimis in orno,
 Est nulli rostro, gutture, voce grauis.
O vtinam, quos Musa loqui vetat ore rotundo,
 Perdentes stipula carmen inane rudi,
Esse graues aliis fugitent: sibi carmina solis,
 Exemplo pangant, Martie pice, tuo.

Rha barbarum. Barbari sermone non mente scriptores.

Barbara cuncta tibi putent; mihi displicet vna
 Pectoris inculti putida barbaries.
Barbara namque mouent aures si verba, sub illis,
 Nucleus vt testa, commoda sensa latent.
Pharmaca sic mittit RHA barbara voce locóque,
 Sunt quibus ipsâ re nulla benigna magis.

Daniel seruatur in antro leonum. Daniel. cap. 5.
Ad Græcum prouerbium, καὶ αἲξ ἄνδρα κακὸν δάκνει.

Et petit & mordet fontes non sæua capella,
 Insonti parcit quàm fera sæua libet.
Hoc Daniel docuit coniectus in antra leonum,
 Importuna fames quos magis excierat.
Illorum non est tactus vel dente vel vngue:
 Nam fidei certo tegmine tutus erat.
Esse cupis contra munitus cuncta pericla?
 Sancta fides fac vt te pietásque tegat.

Ethnicæ literæ sacris iungendæ. Ex D. Basilio.

Prima quidem laus est stirpis, si turgida fructu
 Demittens ramos curuet onusta suos.

Altera,

Vide Isidorum Pelusiotem De scriptis Christianorum.

Altera, si foliis circùm crepitantibus auras
 Demulcens florum fundat amœna decus.
Doctrinæ laus prima sacræ, quòd fructibus almis
 Cœlesti mentes pascat & Ambrosiâ.
Humanis etiam non desit gratia scriptis,
 Tractandis nam dant aurea dona sacris.

Curæ terrenæ.

Continuis fertur currens quâ fluctibus vnda,
 Continuis illac terra cauatur aquis.
Sic qui continui percellunt pectora motus,
 Morsibus arrodunt pectora continuis.

Anima pascenda.

Concidet exiguo tabescens tempore corpus,
 Assiduâ ni des huic alimenta manu.
Deficiet succo vitali cassa, ministres
 Condîtos menti ni pietate cibos.

Voluptatis illecebra & fuga.

Dum testáque lutóque canem de limine pellis,
 Efficis vt linquat limina trita domus.
Proiecto sin pane paras depellere segnem,
 Firmiter vt teneat limina nota facis.
Hoc canis ingenium resipit damnosa voluptas:
 Das fomenta? venit: surripis illa? fugit.

Ἠριγέρων. *Lat. Senecio herba. Maturè sis senex vt diu sis senex.*

Ἠριγέροντα vides primo canescere vere?
 Seruantémque comas sydus ad vsque Capri.
Esse senex optas forsan si tempore longo,
 Maturè fias hæc monet herba senex.

Obtrectator se, non alios vrit.

Veſte geris prunas: quid agis? citus abiice: veſtis
Vritur, haud prunas enecat illa tuas.
Dignos laude viros carpis qui dente maligno,
Deſine: te, non hos vrere, ſtulte, potes.

Errore vno perempto aly tolluntur.

Caſtra Philiſtæis conferta Phalangibus olim
Dauidis vnius ſunt ſuperata manu.
Et quæ turrito fuerant elata gigante,
Vnius extincti preſſa fuere nece.
Errorem ſi fax veri diſcuſſerit vnum,
Errorum fugiet conſociata cohors.

Mundo dediti & irretitj.

Implicat iſte pedes ſinuoſis retibus, vnde
Pòſt nequit implicitos explicuiſſe pedes.
Huic ſimiles viuunt, vani quos deuia mundi
Impediunt, nunquam ſe quibus expediant.

Cicadæ. Concupiſcentiæ obtemperantes.

Vt ſtreperæ verno paſcuntur rore cicadæ,
Quo tandem, rupto ventre, crepare ſolent:
Sic deſideriis quiſquis ſe tradit, iiſdem
Dum nutritur, alit ſemina certa necis.

Nulla virtus perfecta. Ex Ioanne Climaco.

L - S

Menendez

Vndam de liquidis fontibus hauriens,
Ranam de medio tuli fluente:
Quæ puro fluitans ſordida Cymbio,
Rauco viſa mihi eſt ſono profari:

Cum

Cum virtute viden' vt vitium fluit?

Le vice coule avec la vertu

Christus Φωσφόρος. *Precatio matutina.*

Ecce, diem veniens adducit Lucifer almum,
Vt pulsis tenebris candidus ire queat.
Phosphore Christe veni, nostræque illabere menti:
Da sanctæ lucis dona videre tuæ.
Fac vetitis iussisque tuis intendar, ab illis
Vt sim sponte procul, feruidus ista sequar.

Vespertina precatio ex Lucæ 24. cap. Mane nobiscum, Domine. &c.

Vesper adest, furuis iam nox teget omnia pennis:
Quò nox vincatur flammea tæda veni.
Satan adest, tenebris premit exitialibus orbem:
Nobiscum veniens lucide Christe mane.
Sic tenebræ fugient: sol es: radiantibus alis
Et vitæ & lucis munera plena ferens.

Pons tristegus ad Guardum Galliæ Narbonensis fluuium.

Græcia concelebrat septem miracula, sed si
Hoc opus aspiceret, diceret, octo canam.

In eundem.

Impositos fluuiis fluuios mirare viator:
Mirare & pontes pontibus impositos.
Suspice naturam dextrâ solerte reuictam:
Sese vincentem suspice & artificem.
Qui pedibus famam calcans neglexit, vt vlla
Nominis extarent signa relicta sui.
Scilicet, vt dicat molem qui conspicit istam,
Non hominis, verùm est numinis istud opus?

Amaranto ornandum ſepulchrum Chriſti, non ſepulchra Heroum ethnicorum.

Semper florentes Amaranti Theſſala buſta
  Ne decorent:ibi nil flos habet iſte loci.
Corpora, nomẽ,honos,cõpoſtaque marmora marcent.
  Non marceſcenti conuenit iſte rei.
Non ſic marceſcit Chriſti vitale ſepulchrum:
  Hoc circum florens par Amarantus eat.

Aſinus vitem tondens docuit vites putare. Abs quouis diſcendum.

Arcadici pecoris cui non ignauia nota?
  Cui non pandæ aures ridiculúmque caput?
At pigro vitem dum dente totondit aſellus,
  Monſtrauit quo ſit falce putanda modo.
Vſu quod factum poſtquam coluere minores,
  Reddidit vberius ſylua putata merum.
I nunc,& præcepta rudis contemne magiſtri:
  Vtile cum primis monſtrat aſellus opus.

Peccatum.

Maturis grando quod frugibus,aëre ſparſa
Quod teneræ ſegeti infœlix rubigo,quod annus
Peſtifer eſt paruo pecori,pecorúmque magiſtris,
Veliuolis ratibus ſtridens quod ab axe procella,
Hoc homini labes peccati tetra nefandi.

Vitia omnia virtuti contraria.

Per varios flexus hûc quæ decurrit & illûc,
  Labitur ex vno fonte perennis aqua.
Multiplicéſque vias dum captat,rurſus in vnum
  Præcipitata coït deflua tota vadum.

Sic

Sic vno vitium naſcens dimanat ab ortu,
In variáſque means ſe ſecat inde vias.
Quæ quanquam vario ducuntur tramite, tendunt
Vnum vt virtutis præpediatur iter.

Hypocritarum vota inutilia.

Pharmaca quid proſunt, quando celatur in ipſo
Vulnere vulnificus pure fluente chalybs?
Quid nam vota iuuant quando latet abditus ipſo
Pectore lethificus concipiente dolus?

Fides auxilij diuini magnes.

Sponte trahit durum cautes Magneſia ferrum:
Sponte trahunt paleas ſuccina fulua leues:
Sponte trahit flãmas Babylonica Naphta volantes:
Humentes & aquas ſpongia ſponte trahit.
Auxilij cœlo venturi robur ab alto
Indubitata fides æthere miſſa trahit.

Fons inexhauſtus. Vſus optimus opum.

Copia quanta tibi currentis funditur vndæ:
Vndæ currentis copia tanta redit.
At quæ pigra cauâ concluditur vnda palude,
Dum tibi tota manet, tum tibi tota perit.
Hinc opibus rectè diſcas præſentibus vti.
Has ſi des, redeunt: ſi retines, pereunt.

Sus in volutabro lutoſo. Voluptas.

Dum cœnoſa luto molli ſus membra volutat,
Auget cœnoſi pondera fœda luti.
Imbuit immundo ſic quem mala fonte voluptas:
Hôc minùs eluitur, quò magis abluitur.

Bacchus & Venus.

Non abs re venter pars & celanda cohærent
Inter se iuncto consociata situ.
Nimirum sapiens monstrat natura, quòd vno
Et Venus & Bacchus stant saliúntque pede.

Connubium.

Vna fuit primum, duplex est facta deinde
Illa caro, nostrum quæ tulit alma genus.
Ast eadem duplex est vnica facta deinceps,
Quando sancti lex est data connubij.
Illa creatorem monstrat discretio summum:
Legislatorem nexus at iste bonum.

Vmbra. Spes inanis.

Longæ fila spei quid ducis inania? vitæ
Summa breuis longam non habet arcta moram.
Sic cùm sol abiens protensas duplicat vmbras,
Tum properè terris monstrat abire diem.

Murex herba. Malignus.

Inuisus pecori murex per pascua nascens
Qua se se vertit, pungere parte solet.
In partes varias, ceu murex, sæpe maligni
Se vertunt, omni & pungere parte sciunt.

Nota

Murex piscis. Omnibus prodesse.

Sanguine resplendet Magnatum purpura nostro:
Et mensis inopum fit caro nostra cibus.
Est hominum quosdā laus magna iuuare: sed omnes
Posse iuuare, boni gloria prima viri.

Medion

Medion herba, ex Galeno. Filius degener.

Hic patris liquit gnatus vestigia: gnarus
Ille fuit, sed hic est nil nisi pondus iners.
Sic fert aduersum radici semen, & ortus
Medion amittit vim generisque sui.

Tuti ab inuidia miseri. Ex Pindaro.

Inuidiæ non vis morderi dente maligno?
Felices inter fac habeare miser.
Quæris honorato vocitari nomine? cura
Vt miseros inter non habeare miser.

Homines probat oratio, non solus intuitus.

Est oculis adhibenda fides, cùm fortè probandum
Est aliquid, dubium quæ fuget omne procul.
Ast hominem si nosse paras, opus auribus hîc est,
Non oculis: homines namque loquela probat.

Eclipsis solis malorum prænuntia. Peccata principum sunt malorum præsagia subditis imminentium.

Vnde seges terris incumbit tanta malorum,
Quæ pauidos hominum terrificant animos?
Dux lucis propria sol fit tenebrosus in æde,
Deficiens tristes spargit & inde minas.
Sic rex (qui populi sol est) si deficit, aufert
Commoda multa suis, plurima damna ferens.

De Deo reuerenter loquendum.

Hîc, nisi sit lumen, de numine nemo loquatur,
Edicunt prisci scrinia Pythagoræ.
Scilicet vt cùm mens de numine cogitat, omnis
Adsit honos, trepidet vox, animúsque tremat.

Ciceronis vxor, ex Dione. Vana sanctitatis probatio.

Quæ Ciceronis erat coniux, tua facta deinde est:
Cæsaris & factum est, Rufe, sedile tuum.
Annon quòd Cicero sis alter, Cæsar & alter,
Hac inconcussa cum ratione probas?
Sic quidam sanctos dicunt se: scilicet, horum
Dum celebri iactant se residere loco.

Nota

Cœlestia à cœlo & ad cœlum.

Cùm tibi nulla boni sit vel scintilla, quid, heus! te
De condo iactas promere posse tuo?
In cœlum tellus nunquam grauis exilit: orta
E cœlo, cœlum munera grata petunt.

Vulpis & serpentis amicitia. Ex Aristotele.

Cur, reliquis est qui serpens animalibus hostis,
Est vulpi vinclo iunctus amicitiæ?
Nempe bonos solet vt concors coniungere virtus:
Improbitas morum copulat atra malos.

Ligue des meschants

Felix esse nequit qui nihil aduersi patitur.

Felicem narras, aurâ cui semper amicâ
Illæso cursu velificare datum.
Sed mihi (vix credas) nil infelicius illo,
Quem nunquam refluis concutit vnda Notis.
Nam si qui proprias vires non nouit, haberi
Haud solida felix cum ratione potest:
Aduersi qui non sensit certaminis ictus,
Nil miseri passus, non miser esse nequit.

Miraculosa hominis παλιγγενεσία. Ex D. Ioan. cap. 2.

Ad Canæ mensam fuit hoc mirabile quondam,
Facta quod est, Christo, lympha, iubente, merum.

Sed

Sed magè mirandum, quòd qui ſceleratus Adami
Stirpe fuit, Chriſto ſit faciente pius.

Non perfunctoriè de rebus ſanctis cogitandum.

Dogma Scholæ Samiæ eſt, vngues non cędere ferro,
Offertur quando victima ſacra Deo.
Quid velit hoc rogitas? tractanti ſacra putatur
Addictum nugis pectus habere, nefas.

Vide Petronium in Satyrico.

Alteri quod feceris ab altero expecta. Ex D. Athanaſio.

Hic, quem luctificus momordit anguis,
Adflans lethiferæ venena linguæ
Allapſu tacito latenter artus
Peruadentia, dum parat propinquum
Serpentis ſubito necare morſu;
Eſt iuſta Nemeſis manu prehenſus,
Iuſto numine vindicante. Namque
Qui damnum coquit alteri malignè,
Quicquid miſcuit alteri, vorabit.

Pluma in altum ſublata vel humi iacens. Ex Caßiano. Animus curis terrenis impeditus vel expeditus.

Pura leuíſque petit cœlum ſine pondere pluma:
Hæret humi minimo ſed grauefacta luto.
Mens volat ad cœlum terrenis libera curis:
His hærens, terrâ ceu tumulata, manet.

Lynx, ex B. Hieronymo. Tam deeſt auaro quod habet quàm quod non habet.

Lyncibus ingenitum dicunt, vt lumina retro
Flectentes, quod adeſt obliuiſcantur: & acri

Venentur cura quod abeſt,nimióque labore
Longinquam repetant ſaxoſis montibus eſcam,
Dum præſente frui negat his obliuio cæca.
O vtinam bipedes humano nomine Lynces,
Non idem coqueret grauior vel morbus auaros:
Quos vti parto venis vetat abditus hydrops:
Et labor improbior ſtimulat,per ſaxa,per vndas
Quærere,queis careant miſeri,abſtineántque repertis.

Albario opere tectum ædificium. δοξίσοφοι.

Incruſtata vides luteæ qui mœnia molis
Et gypſo & niuea calce nitere procul:
Fortè putas ſi quid ſaxo durabile ſtructum,
Falleris,imponit candidus iſte color.
Tu quoque, qui, (Sophiæ vocitat quos Græcia Patres
Dum legis) exclamas térque quatérque Sophos!
Si ſapiens horum ſperas euadere dictis:
Falleris:hinc ſurgit nil niſi mente tumor.

Amelum ſiue Aſter, & Lupus ſalictarius herba.
Non nomina,ſed res ſpectare oportet.

Non quia ſplendenti vocitatur Amelus ab Aſtro,
Idcirco claræ munera lucis habet.
Nec timidis ouibus ſtirps eſt metuenda vel agnis,
Cui confert nomen beſtia ſæua lupus.
Nil nomen prodeſt vel obeſt.Nam rebus ab ipſis,
Quod decorat verè dedecorátque,venit.

Chriſtianorum ornamentum manſuetudo & clementia.

Nobilium pueri fortunatíque minores,

Lactea

Lactea colla ſolent auro redimire retorto,
Gemmatáſque vaga bullas innectere palla,
Teſtantes genus antiquum gazáſque beatas.
Chriſtiadas, cœli cretos ab origine, par eſt
Viuida ſigna ſui generis deponere nunquam.
Ergo Patris ſoboles cùm ſint clementis, oportet
Æternùm decoret miſerans clementia lapſos.

Scientia cum pietate vtilis.

Quod bibis, adfusâ vinum tibi proderit vnda:
Turbabunt mentem, quæ mera vina bibes.
Proderit & rerum quæſita ſcientia, ſi cum
Scire tuo iunctus numinis ardet amor.

Vide Paulus εὐσέβεια πρὸς πάντα ὠφέλιμος

Pietatis robur inuictum.

Quid laqueos, enſes, ignes, ſæuáſque numellas
In caput innocuum, dire tyranne, paras?
Nil agis: at calcas prædurum calce Pyropum:
Aut Adamantæo robore ſaxa feris.
Fortis Idumææ pietas eſt proxima palmæ:
Quæ quo preſſa magis, tollitur alta magis.

Sanctorum linguæ pretioſæ.

Spartanis ſolenne fuit ſtatuente Lycurgo,
Argento gladios condecorare ſuos.
Sic ferri chalybíſque rigor laudatus habebat
Militibus gnauis gratior vnde foret.
His ſimiles gladiis ſanctorum iudico linguas, ✠
Quæ valido & grato robore corda ſecant.

ξίφος ἀργυρόν

Futilium locutorum vana oratio.

Aureus eſt capulus ſtellatus iaſpide multa,
Plumbea vagina lamina clauſa latet.

✠ Vide Prouerb. Argentum Ignitum Igne purgatum lingua Iusti ✠ ✠

Futilium ſic eſt oratio vana loquentum.
  Rebus inops,verbis turgida luxuriat.

Peccatores ſtupidi.

Læſa quibus mens eſt,læſum vix vulnere corpus
  Aduertunt,illis vix quia ſenſus adeſt.
Vulnera peccati ſenſu non percipit vllo,
  Quem ſtupor errantem reddit & attonitum.

Aranea. Confidentia ingenij.

Subtilem texit ſi forſan aranea telam,
  Venit & ad ſummum ſtaminis alta ſui.
Labitur in præceps,ſua nec veſtigia noſcens,
  Vix oculis rurſum conſpicienda venit.
Ingenio proprio ſic qui confidit & arte,
  Aduerſo demens concidet ille Deo.

Vbique eſt locus virtuti.Ex D.Bernardo.

Squamea Neptuni ſalſis armenta ſub vndis,
    Quæ cæcos pelagi petunt receſſus,
Natales ſalſo ducunt humore,ſimûlque
    Salſo humore cibos trahunt & ortum
Ipſum:ſed ſalſi contagia nulla ſaporis
    Seruant corporeis refuſa fibris.
Sic tu Barbaricæ quamuis ſub littora natus
    Iuuernæ,poteris nihil ferocis
Ingenij retinere,tuo ſi pectore cultus
    Prudens indueris decentiores.

Auarus amens. Ex D.Baſilio.

Quid geminum Solem,geminas quid cernere Thebas
  Se clamat Pentheus,nec videt illa tamen?

Vnicus

Boeotum crasso jurares aere natum

Vnicus est Phœbus, Thebarum mœnia surgunt
Vnica; sed cæcus mentis id error agit.
Sic quodcunque vides oculis, dextràque prehendis,
Auri dum fuluum pondus id esse putas.
Vah, errante, Mida, prodis te mente furentem:
Vnicus auri te dum malus vrit amor.

Humanæ gloriæ despicientia.

Putrescit subitò racemus, vdæ
Qui vicinus humo neglectus hæret:
Virtutis subitò decor liquescit,
Si terrena mouent flabella famæ.

Modus curarum.

Obruta mergetur quæ pondere pressa fatiscit
Sub nimio, fundo non reditura ratis.
Pondere quæ nullo spatiosis ludit in vndis,
Ludibrium vento dat leuis ipsa leui.
Assiduo verùm fueris si pondere pressus:
Assiduo tandem pondere victus eris.
At leuibus semper si ducas otia nugis:
Ipsa leuis teritur mens leuitate sua.
Ergo sic grauium & leuium momenta remisce;
Ne grauitate ruas, ne leuitate fluas.

Cibi sine discrimine non sumendi. Doctrinæ probandæ.

Turpe cibos nullo delectu sumere, nostris
Corporibus qui mox toxica dira ferant.
Turpius at menti quæuis, discrimine nullo,
Dogmata, quæ mentis sunt alimenta, dare.

Opera Dei ἀκατάληπτα.

Non poterit mentem figuli nouisse vel artem
A figuli quanquam testa rotata manu.

Sic non fas homini ſublimis dicere morem
  Numinis, à magno numine factus homo.

A potentiori pendendum.

Quæ per humum reptat, procerâ vitis ab vlmo
  Auxilium, quo ſe ſubuehat alta petit.
Sic inopes, propriâ quibus eſt vi ſtare negatum,
  Poſcere ne pudeat, qua releuentur, opem.

Inopes iuuandi.

Spreta iaceret humi vitis, niſi brachia tendens
  Tolleret hanc ramis vlmus amica ſuis.
Iungit amor plantas, homines iungantur amore:
  Alter & alterius ſuſtineatur ope.

Sancta ſanctè legenda. Ex D. Baſilio.

Dum purum dextrâ non purâ carpere florem
  Acceleras, floris concidit omne decus.
Et ſanctos ſancto ni tractes pectore libros,
  Ex ſanctis ſancti nil malus inde feres.

Sapiens nunquam eſt ſolus. At merulæ ſolitudo inutilis eſt.

Per dumos ſoleas quòd non comitatus adeſſe,
  Soliuagæ multis es ſimilis merulæ.
Sed mihi non. ſiquidem ſapientem dicere ſolum
  Non fas: huic quanquam non ſolet eſſe comes.
Nec ſibi, ſed reliquis ſemper prodeſſe laborat.
  Nulla ſed eſt merulæ ſolius vtilitas.

Oues bene paſtæ. Operibus credendum, non rebus.

Non ſe balatu per pinguia paſcua ductam,
  Lacte ſed & fœtu & vellere monſtrat ouis.

Ne

Nec dapibus cœli paſtum vox multa probabit:
  Id verò ſolum teſtificatur opus.

Cochlea. In ſordidos ſuo ſucco viuentes.

Quæ ſucco tectóque ſuo concluſa, nec vlli
  Vtilis, & tantùm cochlea nata ſibi.
Ipſa ſuo tecto ſuccóque exhauſta, perire
  Cernitur, externo non veniente malo.
Omnis auarus opes ſeruans, ſibi deditus vni,
  Areſcet tandem, cochlea, more tuo.

Verbo Dei nihil addendum, nihil detrahendum.

Quid minus eſt puncto? puncto tamẽ accipe ſacrum
Cur ego contulerim verbum: &, quo maius in orbe
Eſt nihil, aſſimilem minimo. Vis demere puncto
Addere vel quicquam? tum punctum deſinet eſſe.
Addere vis ſacro, tentas vel demere verbo?
Eſſe Dei verbum tantillo deſinet auſu.

Securitas inepta.

Felix Grammaticus non eſt, ſed nec fuit vnquam,
  Burdegalâ natus dictitat Auſonius.
Prudẽs Grammaticus non eſt, ſed nec fuit vnquam,
  Dunenſis Fayus qua ratione refert?
Erroreis, inquit, vafri dum narrat Vlyſſeï,
  Vel quos Æneas per freta multa tulit,
Errorum nimiùm ſecurus vbique ſuorum;
  Errat Grammaticus vanus, ineptus, inops.

Mors Baldi Iuriſconſulti, ex Matthiolo.
Amicitia noxia.

Ille ſui Baldus vixit qui Scæuola ſecli,
  Ille Peruſinæ gloria magna togæ.

Dum Consultorum curas & tædia longè,
  A se quî pellat discutiátve petit.
Cum Gatulo Melites lusisse refertur alumno,
  Deliciæ Domini qui super vnus erat.
Dúmque iocos miscet varios, variósque remiscet,
  Et labris iungit labra canina suis.
Ecce, malum! veniens rabioso virus ab ore,
  Ludentis subitò viscera carpit heri.
Sic cadis: heu! fidum quem tu rebaris amicum,
  Hostis atrox, causam dat tibi, Balde, necis.
At tu, qui viuens texisti voce clientes,
  Illorum vitæ consulis interiens.
Non speratus enim casus grauis admonet omnes,
  Vt fictæ fugiant virus amicitiæ.

Cœlum meta.

Hispano Romam si quis contendat ab orbe,
  Huic sunt Gallorum tecta videnda priùs.
Moribus & quanquam placet illi Gallia cultis;
  Roma tamen cœptæ est meta reposta viæ.
Et nobis petitur felix dum regia cœli,
  Est calcanda priùs semita trita soli.
Quæ quanquam placidis hinc illinc rideat auris;
  Terra via est tantùm; meta suprema polus.

Vtilis consideratio capitis sui.

Esse caput sanum tibi demonstrabis, in ipsum
  Attentè crebrò si tueare caput.
Lumina bina vides, geminis cum naribus, aures
  Aspicis & geminas? Vtile dogma ferunt.
Cuncta priùs siquidem studio venanda sagaci,
  Quæ propè stant, longè quæque remota iacent.

Inferiùs

Inferius linguam, vinclo septóque reuinctam,
Vnam dum multo conspicis esse datam:
Pauca loquenda tibi, cautè tardéque putato:
Sic capiti veniet gloria magna tuo.

Caprificus apud Tertullianum. Hæretici.

Quæ ventosa tumet Caprificus inutilis, exit
Degener è trunco Chia marisca tuo.
Hæresεωn fibræ veniunt à stipite sancto,
Quas fert, heu! sanctus non bene cultus ager.

Asclepias vulgo Vincetoxicum herba.
Præstantes viri neglecti.

Toxica quòd, vitæ contraria, vincere possim,
Ρ῾ιζοτόμων nomen mî Schola docta dedit.
Inuentu facilis, magni non æstimor: etsi
Vis superans gemmas sit pretiosa mihi.
Ne mirare viros clara virtute micantes,
Despectos vili sæpe iacere loco.

Scorpius in aqua non nocet.
In Christo baptizatis nil nocet Satan.

Qui solitus diram terris aspergere pestem
Scorpius, in liquidis nil nocet ater aquis.
Viuificâ Christi lotus si mergeris vndâ,
Nil oberunt Satanæ dira venena trucis.

Lux piorum est æterna: contra illud
Catulli, Soles occidere & redire possunt.

Soles occidere & redire possunt:
Nobis si semel occidit breuis lux,
Et nox non ita longa dormiatur,

Lux eſt perpetua vna contuenda:
Quam Sol iuſtitiæ parauit vnus
Dandam iudicij die ſupremi
Cunctis, quos pietas fidéſque pura
Clararint pugiles, malíque mundi
Victores Satanæ & malignioris.
Aſt his quos Satanas malus caróque
Cum mundo domitat procax procaci,
Nox eſt perpetua vna tranſigenda
Pœna in tartarea & nigris tenebris.

Menſores quod metiantur ſuum nil habent. Cathedrarij philoſophi.

Deſcribit radio totum qui gentibus orbem,
In toto menſor poſſidet orbe nihil.
Sic vos aſſueti virtutis vbique triumphos,
Et laudes plenis ingeminare tubis,
Turba, Sophi, mendax, nil dum virtutis habetis,
Virtutis tumidos fertis in ore ſonos.

Pyrauſta ex Plinio. Iracundus.

Eſt animal, Graia dicunt quod voce Pyrauſtam,
Aër cui vitam, lympha, ſolúmque negant.
In mediis oritur Cypri viuítque caminis,
Vnus & eſt illi feruida flamma cibus.
Diceris, & meritò, par, Iracunde, Pyrauſtæ
Fellis namque focus ſola fit eſca tibi.

Febricitans malè culpat aquas. Non aurum ſed auarus culpandus.

Algentes cauſaris aquas, quæ Cauſona membris,
Nonniſi cum vita diffugiente, fugant.

Vix

Vix hoc ſanus ais:Lymphæ hæc non culpa,ſed eius
Qui rapido lympham feruidus ore bibit.
Nec plus mẽte ſapis,nummos dum carpis:& aurum
Ardoris cauſam dicis,Auare,tui.
Naſcitur hic venis,amor hunc generauit habendi:
Quod ſi vis natum tollere,tolle Patrem.

Vera Religio & ſuperſtitio Coniugium & Adulterium.

Connubij lex eſt mundi ſancita ſub ortum,
Vxor quâ facta eſt vnius vna viri.
Quod ſi fortè viros plures admittit eodem
Omine,ſe turpi fœdat adulterio.
Et nos connubio ſtabili cum numine iungit
Relligio,ſit vt hæc vnius vna Dei.
Quæ ſi fortè Deo ſoli non copulat,illa
Fœda ſuperſtitio eſt,non pia Relligio.

Annulus adamantem cingens, Fides Chriſtum complectens.

Annulus exiguo qui circunducitur auro,
Cur pretio magnas paruus adæquat opes?
Clauditur exiguo longè pretioſior auro
Æmula Phœbeæ lucida gemma facis.
Cur fidei pretium paruæ miraris? in orbe
Quo nihil eſt maius,percipit alma fides.
Eſt adamas Chriſtus:Chriſtum complectitur illa:
Inde minus nil non dicitur eſſe fide.

Iſmaël omnibus infeſtus. Infamia propria.

Iſmaël Abrahæ laribus quòd pulſus oberras,
Nulla tuæ matris culpa pudenda fuit.

Serua licèt fuerit, Domini tamen illa cubile
Contigit, vxoris nobile nomen habens.
Sed contorta tuam vertit diſcordia mentem:
Factus & es ſubitò frater & hoſtis atrox.
Inuiſi tibi ſunt cuncti, túque omnibus aſper:
A te ſic in te dedecus omne fluit.
Maternum culpare genus iam deſine: téque
Dedecoris patrem dicere diſce tui.

Amor numinis caput Sapientiæ.

Ædificare paras? ſunt fundamenta locanda.
Vis nauem? fiat prima carina tibi.
Intento ſtudio petitur ſapientia prima?
Primum aditum ſternet Numinis vnus amor.

Quercus: Hominum dogmata ſuperba.

Quæ procera coma quercus frondente ſuperbit
Aſſolet immundas paſcere glande ſues.
At lento per humum reptat quæ palmitę vitis,
Nectareum menſis fundit onuſta merum.
Sic quæ dicta σοφῶν ventoſo pectore fumant,
Non niſi ventoſo corda tumore grauant.
At quæ cœleſti veniunt oracula Delo,
Vitali verè munere corda leuant.

Vera & falſa bona.

Impare conſpicito geminas mihi pondere lances:
Hæc grauis ima petit, tollitur illa leuis.
Hinc bona condiſcas cum veris pendere falſa:
Sunt leuia illa nimis: ſi nimis iſta grauant.

Harmonia vnico toni vitio ſoluta. Vnico vitio mentis quies interturbata.

Soluitur in cytharis concordia grata canoris,
  Tenſa nimis ſi ſit,laxa vel vna fides.
Et vitium noſtris vnum ſi mentibus inſit,
  Cernetur concors mentis abire melos.

Mori peccato eſt adhærere Chriſto.

Mors & Amor ſimili (quis credat?) ſorte tenentur,
  Sorte licèt multùm diſpare Mors & Amor:
Mors facit vt tandem peccati compede liber,
  Mortuus,aſſuetas ceſſet inire vias.
Præſtat idem diuinus amor,peccata repellens,
  Et vitij claudens antè patentis iter.

Tæda parieti propinqua. A Veneris flamma procul abſcedendum.

Non vrit,fateor:ſed atrâ fuligine tingit:
  Hæret quæ muro flammea tæda nouo.
Cypridis & fuerit ſi flamma propinqua,peruret
  Si non te,punget pectus acerba tuum.

Præſtantes cibi in lance vili,viles in aurea. Non ornatus ſed ſenſus verborum appendendus.

In vili pretioſa tibi ſunt prandia lance,
  Et viles præbent aurea vaſa cibos.
Sæpe rudi loquitur præſtans ſapientia lingua:
  Redduntur comptis frigida ſenſa ſonis.

Gemina corporis membra. Vnus eſt nullus.

Pes nequit ingredi,niſi pes ſuccurrerit alter:
  Ni ſimul aſpiciant,vix oculi videant.

Nec bene prolatas auris capit vnica voces:
  Ni coeant digiti, dextera cessat iners.
Et propriis vnus confidens viribus, audes
  Temnere præsentem, quam ferat alter opem?

*Fabri figulis non adsunt. Mundo renun-
tiandum.*

Fabrili quisquis laudem conquirit ab arte,
  Non bene figlinis assidet ille rotis:
Et te, cui Christo, ceu narras, cura placere,
  Cum mundo mundè viuere posse putas?

Reditus ad vitia.

Nil prodest saliente sitim depellere riuo,
  Ars reuocet pulsam si malè sana sitim.
Nec iuuat immundâ vitium depellere mente,
  Si reuocet vitium mens malè sana nouum.

*Forcipe ferrum candens tractare. Fides rebus
diuinis percipiendis instru-
mentum.*

Nil damni patitur, candentis frusta metalli
  Dum forti versat forcipe dextra fabri.
Sublimes optat cœli qui prehendere sensus:
  Innocuè poterit percipiente fide.

*Aqua effluens manu compressa. Malè ser-
uatæ opes effluunt.*

Stulte, quid adducto pressas ita pollice palmam,
  Vt conclusa t bi contineatur aqua?
Intersusa statim digitis labetur adactis:
  Quóque magis pressas, effluet illa magis.

Stultitiæ parilis meritò damnabere diues;
Qui fluxas perdis, dum malè stringis, opes.

Gustus deprauatus. Vituperatio ab illaudatis profecta.

Felleus hic sapor est dulcis tibi; melleus ille
Tristis: inest æger gustus in ore tibi.
Sic illaudato cùm laus proficiscitur ore,
Pungitur infami vel bona fama nota,
Absit vt irato aut elato pectore surgam.
Nec laudata placent, nec malè iacta mouent.

Pietas bellica virtute præstantior. Capta Babylon à Cyro. Isa. 46. & Dan. 5.

Aduolat vt volucris Cyrus; ceu piscis in vnda
Adnatat: vt fortis vir Babylona capit.
Haud propriâ virtute quidem: Deus vnicus illi
Pennas & pinnas contulit atque manus.
Ast huic, quem volucrē fecit, piscémque, virúmque,
Quantumuis forti, non dedit esse pio.
Esto pius: Cyrum vinces: te vincito: maius
Hinc veniet victâ quàm Babylone, decus.

Aqua liberè fluens, eadémque angusto tubulo clausa. Precum ardor ex aduersis.

Vt vaga campestres perreptans vnda per agros,
Hûc illûc tandem languida carpit iter:
Angusto sed si fuerit compressa canali,
Viuidior sedes surget ad aërias.
Sic vbi mens laxo decurrit libera motu,
Segnitiæ patitur languida damna suæ.
Casibus at duris arctum si fortè redacta
In gyrum, quo vix eripiatur, erit:

Viuida tum cœlo ſurgent ſuſpiria: túmque
Quæſitum tangent feruida vota polum.

Non medicus, ſed morbus cauſa mali. Peccatum malorum cauſa.

Vis ferri flammæque ſecat quòd putria membra,
Non medicus, verùm morbus id acer agit.
Vaſtatas vrbes ferro quòd cernis & igne,
Peccatum cauſa eſt, culpa nec vlla Dei.

Fornax aperta. Loquacitas nimia.

Euolat, aduerſo mutatus frigore, feruor,
Fornacis clauſæ ſint niſi ſæpe fores.
Sic mens, quæ laxo nimiùm blaterauerit ore,
Diffluit, & conſtat vix bene firma ſibi.

Coniunctis luminibus tueri. Mens vaga verum non cernit.

Non poſſis oculo bene cernere, ſi vaga currant
Lumina, nec fixo ſtent requieta loco.
Sic vaga mens mundi curâ diſtracta fugacis,
Non vllâ verum cernere parte poteſt.

X *Triſtitiam terrenam cœleſtis gaudij ſpes abſorbet.*

Parua lacus magni fundum ſcintilla ſubintrans,
Articulo minimo temporis obruitur.
Triſtitiæ molem terrenæ gaudia cœli
Abſorbent nullo deperitura die.

Aqua iactu lapidis turbida. Mens duris verbis turbata.

Si lapis in vitream coniectus decidit vndam,
Turbatur motæ ſplendor amœnus aquæ.

In pa-

In patulam si quis sermo cadit improbus aurem,
Tranquillum mentis commouet ille statum.

Noui orbis repertores celebrati. Viæ cœlestis doctores vulgò contempti.

Ignotæ notum terræ fecere Columbum,
Vesputium tellus Americana suum.
Angustúmque fretum velis Eurísque repertum
Ingentem famam dat, Magelane, tibi.
Denique, qui terræ tractus reperêre recentes,
Vix dicas quàm nunc nobile nomen habent.
At cœli quibus est studium sedésque viásque
Monstrare, iis nullum vel leue nomen adest.
Cur? terras multi, sed amant cœlestia pauci:
Feruet in ore suus cuique frequenter amor.

Scribere in aqua. Voluptuariorum exitus.

In liquidâ quid scribis aquâ? perit hîc tibi solers
Aptè pingendi scita elementa, labor.
Nam simul aruerit descripto littera ligno,
Te scriptum cernes cernere posse nihil.
Sic vos, quos laqueis strinxit, fera blanda, Voluptas,
Exercéntque malis prælia mixta iocis:
Tandem confractos infausto membra labore,
Nil (nisi cum luctu tabida cura) manet.

Andabatæ in tenebris pugnantes.
Mens humana lucis cœlestis expers secum pugnat.

Andabatæ vani, mediâ qui prælia nocte
Miscetis, medio vel sine luce, die.
Parcitis hostili dextræ, temeratis amicam,
Hûc illûc nulla luce regente manum.

Stultitiæ vestræ ridemus ludicra: sed nos
Nobis suffeni, vos imitamur auos.
Cæcus enim mentem morbus malè conficit ægram;
Nec quod præcipuè contueatur habet.
Hinc mala persequitur, fugit at bona: mutat & amẽs
Veráque falsiloquis, flúxáque perpetuis.

Abusus rerum non imputandus rebus. Philosophia non damnanda propter abusum Philosophorum.

Nil melius terrâ; melius nil aëre; & alta
Stellarum cœli lucidiore domo.
Nil tamen est hominum soboles quo fœdius vnquam
Vsa sit, hos quàm dum credidit esse Deos.
Propter at errores tantos; terrâ, aëre, cœlo
Vti, non vllus dixerit esse nefas.
Et Sophiæ proceres, lapsu quin multa pudendo
Errarint olim, nemo negare potest.
Propter at errores tantos, quis dixerit vnquam,
Qui sapiat, Sophiæ commoda nulla fore?

Verbum Dei est Panacæa.

Cùm variò corpus persæpe dolore laboret,
Conficit ars variis Pharmaca tuta modis.
Quæ releuet mentis morbos varióśque grauésque,
Vnica, certa, LIBER fit Panacæa SACER.

Terris aduolans auis. Mundanis curis capti.

Quæ volucris terras verrit, vix aufugit, auceps
Quæ tacito posuit retia tecta loco.
Qui terrena petens hæret, gaudétque petitis:
Mirum si terræ retia tensa fugit.

Nullum

Nullum absque precibus præsidium.

Tam facilè Satanæ damnatis artibus ille
Vincitur, assidua qui prece nudus abit:
Quàm facilè fossa, muris & milite nudus,
A multo cinctus vincitur hoste locus.

Εὐχαί.

Peccati seruitus.

Seruitij patitur qui nunc iuga barbara, quondam
Rex fuerat felix: nunc, miser, heu! premitur.
Sic qui peccato summittit libera colla:
Fit vitij seruus conditione sui.

Venienti morbo occurrendum. Maturè vitia auellenda.

Æstu quæ primo febris mediocriter vssit,
Non extinguendo sæuit adaucta foco.
Est primò promptum vitiis occurrere, quæ pòst
Firmantur longæ tempore fixa moræ.

Delitijs vitia crescunt.

Quis flammam gelidis nutriat imbribus?
Quis mentem scelerum vulnere sauciam
Sanet delitiis molle fluentibus?

Cinerem ore sufflans. Conuitia petunt autores.

Ecquis is est, animæ pulmo cui largus anhelat,
Vt cinerem vacuas volucrem diffufflet in auras?
Aspice: nonne vides oculorum puluis vt orbes
Occupet, ac redeat, quo prodit pulsus ab ore?
Alterius famam sic quisquis verbere linguæ
Percutit effrænis viroso, dedecus in se
Aduocat, insonti quod frustra nequior aptat.

Vide supra 57.

Fullonis carduus asper. Seueritas adulationi præferenda. Ex D. Bernardo.

Fas etiam fuerit tenui fullonis ab arte,
Vtile cum primis sumere dogma mihi.
Fare igitur, Fullo, quare tibi carduus asper
Quæritur? annon est mollior hic melior?
Sed cohibe te, Fullo: nec ore, nec aure doceri,
Sed manibus certis luminibúsque volo.
Pannus hic, ad tactum tractanti, durior exit,
Quem molli pectit carduus vngue leui.
Cultior at dextræ tangenti redditur ille,
Quem radens mordet carduus asperior:
Sic blandis nimiùm languet quæ squalida verbis
Mens, excîta sono viuidiore, viget.

Ad illud Prouerb. 15. Responsio lenis frangit iram.

Excitat ignitam, si flauerit aura, fauillam:
Extinguit fusæ, dum cadit, imber aquæ.
Si tibi verba fluant ignitâ tristia linguâ,
Ardescent litis semina sæua malæ.
Sin moderata tibi fuerint & mitia, flammam
Extinguent, quæ tunc sponte sopita cadet.

Iuuenilis ardor dapibus & otio fouetur.

Ecquid flammiuomis acrius ignibus,
Qui de sulphureis gurgitibus fluunt
Montis Sicelidæ, quem calidum rigens
Vanúsque Empedocles insiluit, Deum
Se credi Siculis dum cupit vrbibus?
Quid fornacibus est Æoliæ magis
Exurens Lipares Mulcibero sacræ?

Æstus

Æstus maior vbi est, vertice quam iugi
Fato percelebris præcipiti Sophi,
Qui doctus Latio prodidit omnia?
Feruores tamen hos, sulphuráque ignea
Ardor, qui iuuenum pectora possidet,
Vincit, vina, dapes, otia quem fouent.

Christus sol iustitiæ placamentum nostrum.

Vt lucis noctísque pares cognoscere metas
Et Brumæ possis solstitiíque domos,
Sol tibi signa feret. Summi cognoscere Patris
Placandi Christus signa modúmque dabit.

Delitiæ pietati contrariæ.

Inuia dum peragrat Moses loca, cernit & audit
Quæ non vel Pharao, tota vel aula Phari.
Quid mirum? mens delitiis auersa, polóque
Versa, Deo gaudet cum propiore loqui.
Atria sed luxu quando rumpuntur inerti,
Purus ab impurâ pellitur æde Deus.

Auis alta petens: Tendere ad cœlum.

Præpetibus celsum quando petit aëra pennis,
Haud temerè laqueo capta tenetur auis.
Si cœli celsas inhies sublimis ad arces,
Terreni fugias sordida tecta luti.

Quouis instrumento peritus artifex bene vtitur. Fortis animus nec diuitijs, nec paupertate frangitur.

Da manui ferrum quod sors obiecerit, edet
Vir gnarus forti fortia facta manu.

Aſt aptes humeris ſi imbellibus Hectoris enſem,
  Torpebit ſegni frigore pigra manus.
Da mihi conſtanti vallatam robore mentem:
  Non hanc paupertas diuitiæque prement.
Anguſto ſed cui ſub pectore torpida mens eſt,
  Vix paupertatem diuitiáſque feret.

Arundo aquis paluſtribus arida, cœleſtibus vegeta.
Ex Ariſtotele in Problemat. Dogmata humana & cœleſtia.

Quæ mediis in aquis aret fluuialis arundo,
  In mediis campis imbre rigata viret.
Quid cauſæ eſt, quæris? Vis eſt genitalis in vndis
  Æthereis: putris quâ caret vnda lacus.
Humanis ſic quæ veniunt diducta fluentis
  Dogmata, vix menti ſana alimenta ferunt.
At qui deſcendit cœli de fontibus humor,
  Eſt animo vitæ vena latéxque ſacræ.

Ad illud Homeri, οὕτως οὐ πάντεσσι θεοὶ χαρίεντα δίδουσι. Ex æquo dij non dederunt munera omnibus. Alteri non inuidendum.

Pondere cuique Deus ſua donat munera certo:
Omnia ſed nulli: Cur indignare negata
Dona tibi, conceſſa aliis? Ferréſne moleſtè
Te volucrum pennis pinníſve carére natantum?
At volucri pennas, pinnas dedit ipſa natanti
Natura omniparens: huic & non inuidet ille:
Legibus at propriis inſiſtens, gaudet vterque.
Ergo Deus quæ dat reliquis mirare libenter
Inuidiâ procul; & maiora capeſſere noli,
Sorte tua felix. Paruæ ſic denique dotes
Immenſæ fient, rectum ſi iunxeris vſum.

Echo.

Echo. In improbos recidunt ſua probra.

Fornice ſub curuo ceu ludicra vocis imago
Vnde priùs prodit miſſa, remiſſa redit:
Sic quæcunque bonos pungunt mala ſpicula, tandem
Autorem feriunt ſponte retorta ſuum.

Doctor & auditor commodus.

Apta manus veluti charta nidente periti
Scribentis pulchras illinit arte notas:
Cœleſteis animis puris ſic lingua diſerti
Indit doctoris, Numine dante, ſonos.

Ager ſenticoſus. Animus verbo Dei non excultus.

Vt cultu viduata ſeges ſylueſtribus horret
Sentibus, & tribulos arua relicta ferunt:
Sic animum cultu vacuum Sermonis Olympo
Demiſſi, cæcum poſſidet error iners.

Arenam cum farina pinſere, ex D. Ambroſio. Clemens inclementia in egenos.

Sic miſerans inopem, cum polline pinſis arenas,
His vt commixtis triſtia liba coquas?
Abſit, ais, tantum crimen. Vah, dedecus in te,
Quanquam voce neges, iſtud, auare, cadit.
Nam cùm fortè duo loculis erepta maligna
Languenti præbes æra minuta manu,
O Nequam, decies; decies ô furcifer, inquis,
Mendico ſtipem dextera noſtra dabit?
Hoc miſcetur arena modo cum polline, vilis
Dum nummus probris eſt comes innumeris.

Stupor in morbis animi.

Conquereris, minimo quòd puluere tactus ocellus
Et lucem & somnum posse videre negat.
Ast oculos vrit quòd flamma libidinis ardens,
Est volupe:& nullus te coquit inde dolor.
O miser! Est sensu viuum tibi corpus acuto:
Mens stupet at vitij mole grauata tui.

Tonante Deo non commoueri impium.

Dum tonat, & magno sonitus sparguntur olympo,
Montibus & syluis tum pecus omne tremit.
In ventrem cucumis crescens se contrahit, horrens
Flammiuomas nubes, quamlibet aure carens.
Hac tamen haud dubitas te voce negare moueri.
O stupor! ô temnens numinis impietas!

Frigus augetur post brumam. Frigiditas in rebus diuinis colendis.

Cerne dies vt eunt hyberno sydere, postquam
Brumæ diffugiunt à statione breui.
Quò plus lucis habent, & habent plus frigoris: etsi
Naturâ veniunt lúxque calórque simul.
Tale quid humanis contingit mentibus, alti
Ad cœli quando voce vocamur iter.
Numinis ardet amor primæuo tempore: sed, cùm
Procedunt vitæ tempora longa, riget.

Corallus. In rebus aduersis mites, asperi secundis. Ex Metamorph. Ouid. 15.

Æquorea qualis mollis Corallus in vndâ,
Extra vndas scabro caudice dura riget.

Sic mediis quidam iactati fluctibus, apto
 Ingenio mites se facilésque gerunt.
Ast ijdem portu stent si fortasse quieto,
 Durâ difficiles asperitate tument.

Spinæ Diuitiarum, Matth. 13.22.

Accipe cur summi Christus sapientia Patris
 Diuitias spinis dixerit esse pares.
Laudati fructus nil gignit spina, nec ex se
 Laudati quicquam diuitiæ pariunt.
Quos tangit, pungit spinis Paliurus acutis:
 Sic vehemens studium pungere suescit opum.
Spinarum syluam facilè depascitur ignis:
 Et subitò vanas corripit ignis opes.
Omnibus inuisa est gnauis mala spina colonis:
 Diuitibus comes est inuida sæpe lues.
In densis latitans hæret mala vipera spinis:
 Sunt mala diuitiæ tegmina sæpe dolis.
Spina necat segetum nascentia gramina: perdunt
 Diuitiæ verbi semina læta sacri.
Ergo ferant plenas vt culta noualia messes,
 Arua priùs spinis sunt vacuanda suis.
Vt videas sanctæ fructus pietatis amœnos,
 Diuitiis caue ne sollicitere malis.
Sorte tua potiùs contentus viuere disce:
 Sic diues sanus, réxque beatus eris.

Ex Aristot & Plinio. Arcus Cœlestis. Odor à Spiritu sancto.

Cœlestis quocunque loco consederit arcus,
 (Vt memorant) remanet non alienus odor.
Cœlestis fueris tactus si Spiritus actu,
 Balsama perfundent pectus odora tuum.

De Iride vel arcu cælesti vide Plutarchum.

Fur extincto lumine penetrans in ædes alienas. Peccatum bonam mentem auferens.

Auferat vt clausa nummos fur improbus aulâ,
Illûc extincto lumine tentat iter.
Obstruat vt vitium verique bonique saporem,
Extinguit mentis lucida dona bonæ.

Negligentia in morbis animi curandis.

Quærere Pæonia properas solamen ab arte,
Vt promptus linquat tempora pressa dolor.
Pharmaca venturos differs sed mentis in annos:
Estque minùs morbus quàm medicina grauis.

Mens deformis.

Mens in formoso deformis corpore, rector
Infirmus firmæ dicitur esse ratis.

Mala radicitus euellenda.

Radices imis penitus conuellito fibris
Arboris, euulsam quam semel esse cupis.
Errores cæco de pectore tollere si vis,
Radices imâ vellere mente stude.

Cera manu tractata. Mens exercita labore ad virtutem recipiendam aptior.

Ni tractata manu & tepido mollita calore,
Non valet impositos carpere cera typos:
Sic vario fuerit nisi mens excîta labore,
Virtutis nescit sumere dura modum.

Peccatum mors animæ.

Seditione domus quantumuis corruit ingens;
Discordi pereunt maxima regna lue:

Enerua

Eneruat languor robuſtos corporis artus:
Mentem peccati vulnera ſæua necant.

Satanæ fraudes cauendæ.

Damnatas Satanæ technas miratus & artes,
Has omni caueas ſedulitate vide.
Inuidit nam ſi terrenum patribus hortum,
Cœlica regna tibi quæris an inuideat?

Iobus agit gratias Deo, reddens quæ ab illo bona acceperat. In aduerſis εὐχαριστεῖν θεῷ.

Mutua qui Iobo dederat bona multa, recepit
Experiens Iobum quæ bona crediderat.
Debita ſed gratus dum debitor expedit, amplis
Hunc grates verbis reddere iura iubent.
Reddit opes ergo Iobus dum debitor, inquit,
Laus ſit magna, Deus creditor alme, tibi.

Sole lucent omnia. Pietas omnibus lucem adfert.

Si tenebris & nocte velis laris atria nigri
Indugredi, tenebris opperiêre nigris.
Sin eadem lucente die fortaſſe reuiſas,
Splendebunt Phœbi lampade clara tibi.
Diuitiæ, Doctrina, Genus, Præſtantia formæ
In ſe non ſolidæ munera laudis habent.
Lucida ſed fient, pietas ſi vera caléńſque
Numinis hæc nunquam non comitetur amor.

Tardat virtutem ſuperbia.

Virtuti comes eſt ſi iuncta ſuperbia, pergit
Lento vix ac vix, & malè ſana pede.

Si vitio comes est adiuncta modestia, fertur
In cursu virtus non remorata suo.
Qur verò? vitio virtus tardatur ab illo:
At vitium virtus hæc releuare solet.

Morbi à causis internis, potiùs quàm ab externis. Mala à nobis.

Non labor immensus tantùm vel pestifer aër,
Quàm mala cum nostro corpore nata nocent.
Sic externa minùs mentem mala plurima vexant,
Quàm tetri innascens vnica noxa mali.

Ονειροπῶλοι.

Qui celeres ventos pedibus sectatur, & vmbras
Qui tremulas pugno conatur claudere, quique
Venatur trepidans interpres somnia, gestant
Pectora stultitiæ simili temulenta meraco.

Midæ votum. Cupiditas noxia. Ex Ambrosio.

Fabula prisca refert væcordi pectore regem
Auspice te votum, Bacche, tulisse nouum.
Tangeret vt quicquid, commutaretur in aurum.
Sic quicquid tetigit Lucida vena fuit.
Siue dapes auido tentat pertundere dente,
Aureus, at frustra, tunditur ore cibus.
Siue leuare sitim properat, fit ductile labris
In mediis aurum, quod fuit ante merum.
Siue putat molli corpus componere lecto,
Aurea durescens culcitra facta riget.
Si Chlamydem membris aptat, fit lamina lana:
Frigore membra stupent, pondere genua labant.

Quid faciat? miser optato, miser ille potito:
Optat & optatis posse carere suis.
Sic nocitura mali captant, nocituráque donant
Auspiciis, Satana, numina falsa, tuis.

Sumptus profusi non necessarij: In cultu Numinis nimis angusti.

Mens tibi læta salit, multa mercede coëmptus
Aspera fræna ferox si tibi mandit equus.
Tristis at es, templi dum forsitan atria pulsas,
Excutit vnciolas si tibi dextra duas.
Te rident alij: gaudens tibi plaudis at vni,
Dum magis id quod amas, pluris, auare, facis.

Cura rerum caducarum.

Cernis vti qua sæpe meat remeátque viator,
Gramine calcato semita glabra riget.
Sic mens assiduis mundi quæ fluctibus horret,
Haud cœlo dignis fructibus aucta nitet.

Olea dicata Mineruæ. Doctorum mores placidi.

Cur olea est doctæ priscis sacrata Mineruæ
Scire vis? hoc oleæ te docet ipse liquor.
Limpidus est lucisque parens: nec mitior illo,
Qui fluat è cunctis stirpibus humor adest.
Palladiis tale ingenium donatur alumnis:
Est quorum candor, ménsque benigna decus.

Non verbis, sed sanctimonia cum Deo coniungi.

Quid? cum febris atrox arentes torreat artus
Ardenti iactas, libera membra febre?

Dissimules simulésque licèt non morbus abiuit,
  Nec rediit vegetus membra per ægra vigor.
Sicquicunque vafer peccatis ingemit,& non
  Linquere peccati vincla sueta cupit.
Numinis ingeminet nomen licèt ille verendum:
  Numine cum vero nil habet ille tamen.

Misericordia erga afflictos.

Tentari nunquam poterunt vada cærula nautis,
  Ni statio & portus dent loca tuta rati.
Mortales inter nec erunt commercia vitæ,
  Mitia si miseris viscera clausa manent.

Non principium sed finis laudatur.

Principium Iudas habuit laudabile,finem
  Funestum:siquidem fune peremptus obit.
Principium lætum Paulo non contigit,illi
  Fine sed optato meta peracta fuit.
Est bene laus quædam cœpisse:sed vltima laus hæc:
  Si felix cœptum meta coronet opus.

Contra illud Terentij: Accede ad ignem hunc,iam calesces plus satis.

Ecquis tam stupidis sensibus est hebes,
Serpentem sedeat si prope luridum,
Vt somno cupiat dedere lumina?
Ac non se stimulis excitet acribus
Longùm vt semoueat,queis pote,viribus
Ter virosa malæ toxica bestiæ?
  Et secura potes ducere tempora
Vicinus Cypriis Thaïdis artibus?
  At te ni procul hinc,ni procul abripis,
Ardor corripiet viscera flammeus,

Absumens

Absumens hominem pectore saucio:
Circæóque potens addere te gregi.

Scintilla in altum sublata. Φιλαυτία.

Tollitur vt volucri motu scintilla, ruenti
Celsa sed est lapsu facta repente nihil:
Ingenio sic tu quicunque tumescis, & audes
Doctrinæ nil non attribuisse tuæ:
Ni moderata sapis, conclusus pectore fungus
Erumpet, vanus dissiliétque tumor.

Corpus expers animæ. Anima sine pietate mortua.

Cernis vt immunda fœtens putredine corpus
Soluitur, & tetris vermibus esca iacet?
Nimirum vacuum est animæ; quæ membra gubernans
Felici religet viuida temperie.
Est sua mors animæ: vitij quam pessima labes
Gignit, in ardenti flammea facta foco.
Huic etenim pietas vitam ni pura ministret,
Exitio languet corruitura graui.

Caput debile. Respublica destituta bono gubernatore.

Ecquid membra iuuant in corpore pulchra decoro,
Infirmum si sit vel sine mente caput?
Quid populo prosunt sancti consulta Senatus,
Si non sint regis robore fulta boni?

Ager incultus. Grex neglectus.

Squalet vt abductis tellus, licèt alma, colonis,
Et præter spinas nil tribulósque parit:

Sic quem Pastoris non tractat cura fidelis,
Luxurians vitiis grex sine more perit.

Crudus ventriculus. Opes inutiles.

Quàm nocet inualido multos lectósque bonósque,
Ast inconcoctos ventre tenere cibos:
Tam seruare nocet centum sub clauibus amplas
(Non vllus quarum cernitur vsus) opes.

Vlcus. Peccatum in mente hærens.

Conspirant vnà calor & rubor & dolor vrgens,
Vlcus enim durum pure latente rubet.
Hoc aperi: subitò releuabere: protinus ibit
Cúmque calore rubor, cúmque rubore dolor:
Sic tibi peccati mens pure grauata maligno
Si lateat, tristi victa dolore ruet.
Sin aperis, vitiúmque procul discusseris omne,
Vitalis venient lumina lætitiæ.

Diues inops.

Somniat Irus: opes nummata computat arca,
Et Crœsi gazas deputat esse suas.
Ast vbi somnus abit, nummísque beata recessit
Arca, fit idem Irus, qui modò Crœsus erat.
Sic vigilans dormis, nullos qui stultus in vsus
Congeris: & pauper somnia persequeris.

Laus merita.

X Aura velut spirans sopitos suscitat ignes,
Debita sic mentes laus fouet alma bonas.

Φιλοτιμία cauenda.

Qui pretiosa gerens gemmatæ pondera mercis
Per furum medias ítque redítque vias:

Ni

X Ἔπαινος. Paulus Philipp.

Ni catus abdiderit, mirum si vitat aduncæ,
Quos cernit, dextræ, non procul esse dolos.
Sic studiis quicunque piis est deditus, ille
Si sapit, occulta proferet illa manu.
Ni faciat, rapiet laudatæ præmia laudis,
Fur illaudatus, laudis inanis amor.

Epulo & Lazarus apud Chrysostomum. Pretiosa hominibus, vilia Deo.

Et genus & famam regina pecunia donat,
Diuitis & volitat nomen in ora virûm.
Pauperis ignotum nomen reticetur vbique:
Pauper & vsque tacet: pauper & vsque iacet.
Dic igitur sanctis cur pagina dídita libris
Lazareum nomen non sinit esse latens?
Diuitis at contrà nomen non exprimit vllum,
Illi ceu nullum nomen in orbe foret?
Nimirum, quod vulgò homines ter nobile clamãt,
Obscurum magni sordet ad ora Dei.
Ast homini vano sanctum quod temnitur, illud
Redditur vnius nobile voce Dei.

Pueri laruis territi. Vanus metus mortis. Ex Chrysostomo.

Eccui, si videat ludentes fortè puellos,
Non moueat risum credula simplicitas?
Cortice terrentur qui contegit ora cauato;
Inuitat stolidas flammula parua manus.
At quicunque sapis, ride maiore cachinno,
Grandæuis quæ sunt ludicra facta viris.
Quid mors est aliud, vultu quàm larua minaci?
Ecquid peccatum, flammea tæda nisi?
Peccato pauci terrentur, non secus ac si
Sit peccare leuis ridiculúsque iocus.

Terrentur cuncti mortis formidine; ceu si
Nil aliud, sed mors vna timenda foret.

Sorex abit tectis minantibus ruinam. De exitu mundano cogitare.

Dicitur indicio proprio se prodere sorex:
Prodit at indicio dogmata magna suo.
Si præsentit (huic est vis præsaga) ruinam
Illius est in quo natus agítque laris.
Hinc migremus, ait, socij: sors dura manentes
Hîc manet: est hæc nam corruitura domus.
Heu! nos Bœota mortales mente! videmus
Mundus vt assiduè defluat & pereat.
At fluat ille licèt, fluxo maneamus in orbe,
Dicimus, hîc nobis parta beata quies.
Saluus abit tectis sorex labentibus: at nos
Cum mundo miseros mors moriente rapit.

Studijs bonarum literarum fauere. Ex dicto Zenonis Imperatoris.

Nomen Zeno dedit: Cæsar tibi contulit omen:
Hic Marti, Musis deditus ille fuit.
Militiâ clarum te Mars agnouit: amicum
Te sibi Musarum sensit amœna cohors.
Testis cura, tibi graues quâ Mauortis alumnos
In patriæ pacem sæpe fouere fuit.
Testis & illa simul vox aurea, Palladis almæ
Artifices quando condecorare volens:
O Magno maior dixisti Cæsare, Cæsar,
Tunc hominum verè sæcla beata fore;
" Si, quæ durus habet miles stipendia, fiant
" Palladiæ passim præmia iusta togæ.
Quam vocem memori condentes pectore Musæ,
En animi tibi dant, hæc; monimenta sui.

Cæsa-

Hæc communium
Regi Francisco I.

Cæſareo, Zeno, ſalueto ſtemmate digne:
Zenonis, Cæſar, nomine digne, Vale.

Ad gratiam non loqui, ſed ad veritatem. Alluſio ad nomina vrbium Veronæ & Placentiæ.

Vide Gorgiam.

Mi Verona placet, veri quia pectore noſtro
Viuit amor: noſtro miſſus & ore fluit.
Eſt ingrata mihi, quæ grata Placentia multis:
Nam puto Gnatonis more placere nefas.

Ariſtophanes, qui videri; Ariſtoteles, qui vult eſſe.

Nullus Ariſtophani locus hîc ſit: ſed locus eſto
Semper laudato multus Ariſtoteli.
Cur verò? Vitam laudato fine coronans,
Sit lateri ſemper proximus ille meo.
Eſſe bonus quiſquis non curat, vúltque videri,
A laribus procul, ô ſit procul ille meis.

Parens caſtigando emendet, non perdat filium.

Indignaris, equus forſan ſi cæſpitet: ídque
Niteris emendes ſedulus vt vitij.
Quòd ſi fortè pedem velles huic demere, quis non
Dixerit Anticyræ pocula danda tibi?
Ardentem nati bilem tibi concitat error:
Huius at exitium ne, bone, quære, pater.
In melius mores facito commutet: vt ille
Te ſciat haud vnâ conditione patrem.

Seruus imperans Domino. Seruitus animæ.

Quàm durum tetrico mancipij mali,
Laudatum Dominum ſeruitio premi:

(Corpus Imperans animo.

Mentem sydereo semine consitam,
Stringi corporeis tam graue vinculis.

Nauis. Fides apud Nazianzenum.

Quàm demens pelagi vastis qui fluctibus audet
Credere se, nulla sed ratis vsus ope:
Tam demens cœli quisquis certarit ad arces,
Viuificâ vacuus sed penetrare fide.

Deus spiritu colendus.

Mortua quid prodest viui & præsentis imago?
Absentis vultum monstret imago rei.
At vos, ô cæcæ mentes! viuentis vbique
Præsentisque Dei vultis habere typum?
Spirituum pater est Deus almus Spiritus: optat
Lumine spirituum splendidiore coli.

Oculus nihil præter lumen videt. Mens nihil præter numen amet.

Mens est: mente coli vult Maximus Optimus ille,
A quo mens pendet vitáque nostra, Deus.
Si tamen à sensu qua sit ratione colendus
Fortè petas, visus, qui tibi monstret, erit.
Visus amat lumen toto sibi iungere nisu:
Et visus solum nil nisi lumen amat.
Nos decet & numen tota conquirere mente:
Vt præter numen mens amet ipsa nihil.

Claui Christi crucifixi.

Truditur vt clauo clauus, nodúsque rebellis
Non nisi præduro finditur à cuneo:
Sic mea peccati terebrat qui pectora clauus,
Est fixus clauis non nisi, Christe, tuis.

O cla-

Vide supra 70.

O claui! claues merito vos nomine dicam:
Quæ reſerant cœli limina celſa mihi.
O ferrum, quouis Arabum pretioſius auro!
Tum ſanas, quando vulnera lata facis.

Serpentes acutùm cernentes. Sophiſtarum acumen non laudandum.

Sæpe Sophiſtarum laudans miraris acumen,
Omnia ſunt quorum peruia luminibus.
Miror ego: non laudo tamen. Serpentis acutum
Lethiferi laudet, quæſo, quis intuitum?

Ad illud 1. Corinth. 13. Cognoſco in parte, &c. Ex Chryſoſtomo.

Quem cultu curas omni puerilibus annis,
Ignorat dextræ, Rex bone, dona tuæ.
Firmior at poſtquam cum tempore venerit ætas,
Vſu multiplici notitiáque potens:
Tum memorans ortus proprij primordia, matre
Natus vt in biuio paupere pauperior.
Agnoſcet largámque manum pectúſque benignum,
Et magnas à te quas habet Irus opes.
Sic nos dum terra peregrini viuimus hacce,
Et rerum vacui cognitione ſumus.
Neſcimus patrium, quo nos dignaris, honorem:
Nec capimus regni ſceptra modúmque tui.
Sed cùm reddideris patriæ nos finibus, & te
Cernendum nobis non procul obtuleris:
Tum parebit amor concluſus limite nullo,
Quo nos, ſumme pater, pergis amare tuos.
Vtque ſumus noti, tum cognoſcemus, & almas
Carpemus regni cunctipatentis opes.

Pueri mirantur & laudant Pauones. Virtutem admirari parum est, nisi sis virtute praeditus.

Assiduè miris virtutem laudibus effers:
Virtutis cùm vix nota sit vmbra tibi.
Sic pueri Iunonis auem mirantur: at illi
Non vltra curant quærere quæ sit auis.

Ferro & Homine nihil melius, nihil deterius.

Quid melius ferro? præstat mortalibus vsus
Innumeros, terrâ, veliuolóque mari.
Quid peius ferro? quo mors grassatur vbique,
Dum Furiis agitur, Mars rabiose, tuis?
Quidnā homine est melius, cœli qui semine cretus
Est homini mitis mente manúque Deus?
Quidnā homine est peius, proprio qui degener ortu
Est homini crudus mente manúque lupus?

Morus arbor, sapiētissima dicta Plinio: Thysbea Ouid.

Quid tibi cum Moro Thysbe stolidissima? Morus
Nam reliquis sapiens est magis arboribus.
Tu, male-sana, tuo præceps dum cedis amori,
Præcipiti nimiùm, vah cadis vsa manu.
At lentè morus gradiens sic vere virescit,
Nullus ab Aprili possit vt esse metus.
Ergo vel μῶρος, vel mores, vel mora moro
Det nomen: modò ne Thysbea dicta siet.

Christus vnus prædicandus.

Barbara Sesostræ sileat miracula Memphis:
Sedulus & taceat Persica facta labor.
Nec celebres Graiûm versu dicantur honores:
Dissimulétque frequens parta trophæa manus.

Aëra

Aëra nec vacuum complentibus vndique linguis
  Indi gesta Patris carmina culta sonent.
Romulus Acronem taceat mucrone peremptum,
  Mittito Veientes, magne Camille, tuos.
Et vos Cæsarei domita tellure triumphi
  Este procul, peperit vos scelerosa manus.
Mosaïcæ potiùs memorentur prælia dextræ:
  Nec non Isacidûm prælia sancta ducum:
Victori tamen hæc concedant omnia Christo:
  Cuius præ cunctis fama loquatur opus.

Mezentius iungens viuis corporibus mortua.

Εἰκονομανία.

Et vos discipulos Petri? vos pignora Pauli?
  Hoc ego cum multis térque quatérque nego.
Illius edoctos potiùs vos arbitror aulâ,
  Qui iunxit viuis mortua corporibus.
Mollia nam putri dum fertis basia ligno,
  Iungitis & saxo labra rubella rudi.
Iungere vos viuis hinc clarum mortua: quare
  Mezenti potiùs dixero discipulos.

Pica auis, ex Plutarcho. Φιλομάθεια.

Garrula sum, fateor: nostro sed amaror in ore
  Nullus inest, comis sed facilísque lepos.
Culpa tamen si qua est, naturæ est culpa: rependit
  Quæ meritæ laudis plurima dona mihi.
Discendi studio nunquam certauerit vlla
  Pennatæ gentis, quadrupedísve mihi.
Quin, Sophiæ qui condus, homo, si certet, abibit
  Victrici picæ præmia sponte ferens.
Quid velit hoc nescis? Dicenti crede; nihílque
  Hîc vnquam vanæ garrulitatis erit.

Τούτῳ νίκα.

Tantus amor nobis humanas fingere voces,
Totus in hoc vt ſit nocte diéque labor.
Quòd ſi fortè negat volucrum mihi Pallas apiſci,
Quod cupio, tantus me capit inde dolor,
Protinus vt vitæ lucem ſit linquere dulce,
Et gratum mortis iam mihi pondus eat.
I nunc, & picas linguâ inſectare loquaces:
Diſcendi ſtudium fac imitere tamen.

Monetarum & ætatum comparatio.

Priſca moneta fuit meliori facta metallo:
Deteriore ſed eſt commate cuſa nouo.
Illi priſcorum ſoleo contendere mores.
Iſti ſed mores confero ſæpe nouos.

Gallica certamina.

Acrior ad pugnam fieret quò Græca iuuentus,
Pugnaces Gallos ſueta videre fuit.
At ſi quis videat, quas miſcet Gallia, pugnas,
(Tota quibus miſerè vah! laniata perit.)
Exuerit ſi non hominem, mala nomina belli
Horreſcens, placidæ pacis amator erit.

Ex obſcuro ſplendidus.

Eſt in equis patrum virtus plerumque repoſta:
Atque refert ortum ſtirps generoſa ſuum.
Nonnunquam tamen ex imbellis ſtirpe caballi,
Elide qui currat victor, abibit equus.
Sic quanquam fortes oriantur fortibus: heros
Omnis ab heroum non trahit arce genus.
Naſcitur ex vena mediocri ſæpe creatus,
Cui natura dedit robur & ingenium.

Nimia diligentia. Pli. lib.34.cap.8.

Callimachi multis est dextra probata periti:
Sunt etiam quibus haud illa probata fuit.
Non deerat Pallas, deerat sed gratia, qualem
Sunt solitæ Charites contribuisse suis.
De tabula remouere manum non nouerat, illam
Semper ad incœptum sed reuocabat opus:
Non amo desidiam nimiam, nimiúmve laborem:
Inter vtrumque placet, quod mediocre venit.

Ad quendam hemiplegia laborantem.
Vita dimidiata.

Quæ lecto retinet te hemiplegia iacentem,
Qua viui simus nos ratione, docet.
Pars sensu motúque carens est languida: sensu
Et motu sed pars prædita, viua manet.
Qui viuit carni peccanti, mortuus ille est:
Spiritui viuit qui bene, viuus erit.

Lupi & auari comparatio.

Ingluuiem frustrà speras satiare luporum,
Dentibus est quorum præda vorata frequens.
Lux hesterna neci multos si tradidit agnos,
Et plures etiam lux hodierna dabit.
At tandem quid fit? cùm nulla voranda supersunt,
Dente solet proprio se laniare lupus.
Ardor auarorum sic mentes vrit habendi,
Et cùm multa vorent, plura voranda petunt.
Ergo nihil postquàm laniandum restat auaro,
Restat vt ipse suum pectus auarus edat.

Loco non affixa virtus.

In syluis Druydes soliti sunt degere prisci,
In syluis soliti viuere sæpe sues.

Sic communis erat ſuibus tum ſylua Sophiſque,
Non vno ſolitis ſe ſatiare cibo.
Hi ſophia mentes, ventres ſed glandibus illi
Implebant: locus aſt vnus vtriſque fuit.
Nil locus ad mores: alioquin pigra propago
Porcorum fieret docta corona σοφῶν.

Latent maligni rebus aduerſis: qui quales ſint rebus ſecundis apparet.

Frigore ſerpentes nigris conduntur in antris,
Noxia ſunt & tunc atra venena minùs.
Aëra ſed zephyri dum mulcent, ſibila linguâ
Emittunt, virus lethiferúmque vomunt.
In rebus latitant duris plerumque maligni,
Tempora prodere quos proſperiora ſolent.

Quàm ſit fœda Idololatria. Ex Euſeb. præp. Euang. lib. 6. & Ezechiele 20.

An dici poſſit, DEVS EST SCARABÆVS (vt olim
Ora Sophiſtarum deblateraſſe ferunt)
Oſtendit Memphis, vocitans quæ ſolis amœni
Hunc animam, ſtolidè credidit eſſe Deum.
Oſtendêre pij vates ridere ſueti
Idola, atque Deos dicere ſtercoreos.
Naſcitur in turpi viuens Scarabæus oleto,
Cui roſa præſentem gignit odora necem.
Sic idolorum qui ſtercora fœdus honorat,
Ferre nequit, quæ ſunt in pietate, roſas.
Quòd ſi ſunt ſimiles idolis illa colentes,
Dum colit Ægyptus ſtercora, ſtercus erit.

Piscis sacer. Ex Plinio lib.9. cap.4.
Boni bonis, Mali malis.

Piscis vbi sacer est, fugit illinc noxius omnis
Piscis, & illo sunt omnia tuta vado.
Furuus vbi vafer est, bonus illinc aufugit omnis,
Et surgunt illo cuncta pericla loco:
Illud cur fiat, non possim dicere: dicam,
Cur hoc: Agna trucem nescit amare lupum.

Varro, Cato graues, Plautus iocosus.

Varro tuus ferme periit, tuus & Cato fermè,
Perdurat Plauti lectus vbique labor.
Non fuit in pretio virtus doctrinaue: paucis
Cognitus excellens Varro Catóque fuit.
Non nemo capitur nugis, salibúsque iocísque,
Sic teritur multa Plautus in orbe manu.
Ingenio trahimur: tristes odêre iocosi:
Ridiculos grauitas nescit amare iocos.

Mollities toto orbe refusa.

Pectora Salmacidis lymphæ mollescere potu
Commemorant, possint nil vt habere viri.
Si sic est: equidem non vnica Caria potat
Salmacidas (totus mollis at orbis) aquas.
Ferrea nostra caue ne post hac tempora dicas,
Omnia mollitie perdita namque fluunt.

Verborum & ventorum comparatio.
Ex Chrysostomo.

Par modus est verbis & ventis. Pandito ventis
Vela: volans ibit, quò volet aura, ratis.
Auster si flarit gelidas pelletur ad arctos,
Sin aquilo: Notium tunc petet illa polum.

Sint bona verba, bono te ſiſtent littore: contrà
In ſcopulos pellent te mala verba graues.
Multiplici gaudes quiſquis ſermone loquentum,
Quæ feriant aures aſpice verba tuas.

Inſanum Læandri pactum.

Nota de pacto peccatoris cum diabolo

Helleſpontiacâ Læander feſſus in vndâ,
Cum tumido fertur ſic pepigiſſe freto.
Fac vt iens, inquit, contingam limen amatum:
Tunc ego non renuam, cùm remeabo, mori.
Demens! qui ſperat de mortis iure paciſci:
Quæ non lora malo, ſed dare fræna monet.

Mores Magnatum corrupti. Ex Ephemeride Cratetis apud Laërt. lib. 6.

Denas ſcribe minas: pretium coquus hoc feret artis
Vnica ſed medico ſit data drachma ſatis.
Aſſentatori ponantur quinque talenta:
At conſultoris fumus inanis erit.
Vnum donetur Thaidi, placet illa, talentum:
Tres obolos habeat doctus at ille ſophus.
Magnatum mores quàm ſint frugíque boníque,
Hac docuiſſe Crates fertur Ephemeride.

Antidotum vtile, potiùs quàm iucundum.

Pungit apis: prudens hinc nemo negarit amandam
Quæ cunctis, propter mel, ſit amata locis.
Mordicat, vlcera dum mundat mel dulce, vetátque
Ne mala putredo longiùs ire paret.
Errantem verbis te pungit amicus amaris:
Hunc odiſſe voles? ô ſine mente miſer!

Illiu

Illius (hoc fateor) ſunt acria verba: benignum
In te, (quod neſcis, ſed ſcio:) pectus habet.
In mentem vitium ne ſerpat longius, aptam
Dat, non quæ placeat, ſed iuuet, antidotum.

Infames vitiis patriam dedecorant.

Dum patriam Laïs non vult formoſa fateri,
Séque peregrina dicit in vrbe ſatam.
Illa ſuis adimit, peregrinis vt det honorem,
Quem putat è formâ poſſe venire ſuâ.
Fallitur: hos decorat, quos dedecorare parabat:
Illos dedecorat, quos decorare putat.
Abſit enim decori ſit deteſtabile ſcortum:
Ad cuius iacuit Græcia tota fores.

Ad illud Pſalmi 80. Iuſtus vt palma florebit.

Ad Pſ. I.

Pondere preſſa graui fit palma valentior: atque
Flore priùs fructum fert foliíſque ſuum.
Hoc florere modo iuſtus memoratur: iniquo
Pondere qui preſſus, ſtátque vigétque magis.
Verbis non iactat ſeſe oſtentator, adinſtar
Sed palmæ, fructu ſe probat eſſe probum.
Aſſimilis palmæ ſi quis vult viuere, palmas
Auferet & cœli præmia perpetui.

Bene compoſito vultu homines intueri.

Πρὸς εὐσχημοσύνην.

Simia ridiculo, toruo leo, non placet ore:
Aſpiciens rectùm grata videtur ouis.
Natus homo reliquos compoſto cernito vultu,
Et non ingrata ſuſcipe fronte parem.
Ne, ſi derides, dicaris cercopithecus:
Sin toruùm aſpicias, trux videare leo.

Oculus inuidi.

Lippus & est luscus Furuus, sed acutiùs illo
Nemo videt, quanam hoc fit ratione, cape.
Vritur inuidiâ Furuus: facit improbus ardor,
Quæ sunt, quæ non sunt, inuidus vt videat.

Ætatis hominis & corui collatio.

Annos ter centum memoratur viuere coruus,
Viuere vix homini paucula lustra datur.
At viuat crocitétque diu coruina senectus,
Vno plus hominem me iuuat esse die.

Colchicum ephemeron herba. Peccatum primum.

Hellas Ephemeriō vocat hunc (quē Colchica bulbū
Dat tellus) vno quòd necet ille die.
Peccati placet huic primi conferre venenum,
Quo genus humanum perdidit vna dies.

Gracchi diserti, non boni. Bonus præferendus docto.

Ingenij laus est & linguæ magna disertæ,
Maior at est morum laus venerabilium.
Id fratres docuêre, quibus solertia matris
Ausonij palmam contulit eloquij.
Ore manúque pares qui si fortasse fuissent,
Laudaret Gracchos nunc quoque Roma suos.
Est aliquid doctum, nec non audire disertum:
Ast audire virum, gloria summa, bonum.

Mala mens.

Assiduis resonent quanquam tibi vocibus aures,
Menti vt sit virtus insinuata tuæ.

Ex

Ex te mittuntur virtutis ſemina nulla:
Quin vitiis horret mens vitioſa tuis.
Infœlix tellus ſic non manſueſcit arando:
Hiſpida ſed ſpinis hæc tribuliſque iacet.

Fulminis effectus diuerſi, ex Ariſtot. Meteor. 2.

Abſumit ferrum, lanæ ſed parcit, ab alta
Quod cœli fulmen mittitur arce ferum.
Ferrea cui mens eſt & cedere neſcia ceruix,
Frangitur, icta Dei cunctipotente manu.
Mitis at ingenij ſors eſt contraria: namque
Effugit iram iræ mens dare docta locum.

Ad illud Mauricij Imperatoris de Phoca, εἰ δειλὸς, καὶ φονεύς. Alluſio ad Phocam ſiue Vitulum marinum crudele & ignauum animal.

Eſt meritò Phocæ vocitatus nomine Phocas;
Crudelis, ſtolidus, nam timidúſque fuit.
Crudelem ſenſit Mauritius: at data Roma
Pontifici, ſtolidum: mors timidum ipſa probat.

Polypodium herba. Copia inutilis.

Non gradior pedibus: tamen illis debeo nomen:
Eſt immobilium copia namque pedum.
Copia non prodeſt, ſi rerum deficit vſus:
Vſum quæ præſtat copia multa, iuuat.

Idem Polypodium. Copia vtilis.

Non gradior pedibus, viuo, ſto, nitor at illis,
Quótque pedes, tot ſunt ora manúſque mihi.

(Vide Galenum de vsu pedum.)

Expello tristes hominum de pectore succos,
Multorum non est vis ea parua pedum.

De Medico auarissimo.

Ægrotat Medicus, medicamina respuit idem
Omnia: nititur & non ratione leui.
Si mihi præscribam quicquam: quis, clamat, opellæ
Me miserum! tandem soluerit æra meæ?
Quàm bene! sordidior quo non vel auarior alter,
Vnius est vitæ prodigus ille suæ.
Sed cùm quicquid agit, faciat malè semper auarus:
Efficit hoc vnum non malè, quòd moritur.

Φιλομάθεια. Hydrops.

Aonios quicunque cupis decerpere fructus,
Palladiíque iugi tangere culmen aues:
Hunc imitare, tumet nimia cui venter ab vnda:
A quo plus potæ, plus sitiuntur aquæ.
Sit tibi perpetuus feruórque sitísque sciendi:
Plurima cúmque scias, discere plura petas.
Hac hydrops fies commendatissimus arte,
Et bene munito pectore, sanus eris.

De παλιγγενεσίᾳ cogitandum.

Qui varium lunæ vultum circunspicis, illi
Stultitiæ labem ne tribuisse velis:
Illius at potiùs motúmque modúmque videto,
Esse renascendum quò tibi sæpe scias.
Esse renascendum, prior vt moriatur Adamus,
Et nouus exurgat Christus vt alter Adam.

Seueritas & benignitas Dei.

Euomuit veteres tellus Chananæa colonos,
Cùm foret innumeris obruta criminibus.

At

At nunc criminibus cùm terra regurgitet, omnes
Mortales cur non euomit illa semel?
Numinis id tolerans præstat clementia, quæ quò
Tardiùs, hoc grauiùs puniet omne nefas.

In pastorem quendam, qui se lacte pascere dicebat gregem alioqui contaminatißimum. Ex Hippo. Apho. Lac febricitantibus malum.

Vrit ouile tuum vitiorum torrida febris,
Cui dare te lactis pabula semper ais.
At si dogma senis Coi tibi nosse daretur,
Tunc nosses dare lac febribus esse malum.
Ergo cibo non tam grato, quàm pasce salubri:
Ne grex morbificum te sciat esse ducem.

Cannabis herba mortalis & immortalis.

Cur immortalis sit mortalísque vocata
Cannabis, absurdum dicere, quæso, caue.
Illâ stringuntur contortâ colla nocentum,
Quos dare morti mos iuráque sancta iubent.
Illa contritâ rebus fit charta notandis,
Quæ viuant sæclis immemorabilibus.
Hoc immortalis fit more modóque: sed illo
Mortalis fertur Cannabis esse malis.

Ex Psalm. 79. Cadauera seruorum tuorum escam dederunt volatilibus cæli.

Corpora sanctorum volucrésque feræque vorarunt:
Sanctius est horum non tamen inde genus.
Nec prodest sanctis scriptísque cibísque replere
Pectora, ni sanctâ sint decorata fide.

Mercuria lis.

Cannabis herba

Ad nomen Centumali, vel Centimali Consulis Romani.

Cui centum nasci contingit in arbore mala,
Hunc Centummalum iure vocare licet.
At malus & malè qui centum mala patrat agendo,
Hunc verè poteris dicere Centimalum.

Naturæ & vicinitatis robur ad mutuam consensionem.

Imperat aura mari magno, mare paret & auræ:
Hæc si flat, subitis intumet illud aquis.
Id facit amborum natura propinqua locisque,
Inter se remanent queis sociata simul.
Naturæ paritas, quos & vicinia iungit,
Perfacili coëunt conueniúntque modo.

Ciconia propter vtilitatem, non propter pietatem chara.

Ægypto fertur dilecta Ciconia: non quòd
Effœtos annis gestet amétque patres:
Anguibus at quoniam virosis liberat arua,
Infestant quorum sibila dira Pharon.
Non laudat vulgus per se laudabile quod sit:
Vtile non nemo captat amátque sibi.

Mors omnia deridet.

Est inter risum & rictum distantia parua:
An risum, an rictum mors habet, ergo refer.
℞ De mortis rictu non ausim dicere quicquam:
Ast mortis risum, sat scio, nemo fugit.
Quicquid agunt homines, votũ, timor, ira, voluptas,
Bellum, rixa, dolor, gaudia, cura, iocus.

Cætera

Cætera degenere hoc,monſtrat mors vana,parique
Fine,modo,ritu,dum venit,aſſimilat.
At riſum mortis vin' tutò temnere? tu ne
Viue tibi:verùm viuere diſce Deo.
Viue Deo,mundóque mori conſueſce tibíque:
In te ridendum eſt mors habitura nihil.

Non quandiu,ſed quàm bene viuas.

Annos ter centum viuendo garrula cornix
Exuperat,verax ſi modò fama vetus.
Plus vno paſſer non viuere dicitur anno:
Clauſula ſed ſtadij par vtriuſque tamen.
Ne,quàm vita tibi detur diuturna labores:
Viuere ſed ſanctè cura ſit atque mori.

Grus agnoſcit ſuum tempus. Ex Iere.cap.8.

I. Dicite Strymoniæ volucres,quis veris amœni
Venturas docuit vos hyemíſque vices?
R. Indita naturæ ſeruamus ſemina noſtræ,
Eſt cuius fines tranſiliiſſe nefas.
Fœlices nimiùm mortales,ſi ſua norint
Tempora,queis parcat,queis feriátque Deus!

Ad impudentiſsimum Sophiſtam. Ex Vergiliana Eclogæ 9.verbis:Vox quoque Mœrin Iam deſit,Mœrinque lupi vidêre priores.

Nec tua me victum cogit doctrina ſilere:
Nec tua me terret lingua proterua nimis.
Sed vox me deſit:quia me prior aſpicis.Iſto
Quid ſermone rogas ſignificare velim?
Non vanus Mœris paſtor tibi dicet:ademptæ
Dum ſe conqueritur vocis habere nihil.

Ad illud Ecclesiastæ 10. Sicut muscæ mortuæ fœtorem vnguento conciliant.

Gratius Aſſyrio nuper quod olebat amomo,
Panchaïcæ myrrhæ ſuauius & lachryma,
Putidiùs fœtens agnæ quàm polypus, & quàm
Hircus Gorgonij, quámque Mephytis olet.
Putorem vnguento muſcæ fecêre necatæ,
Hinc qui gratus erat, nunc grauis exit odor.
Sic cuius volitat ſapientia ſparſa per orbem,
Nota per Eoos, nota per Heſperios,
Labe mala culpæ ſi fortè notetur, abibit
In nihilum celebris famáque láuſque prior.

Contra illud Martialis, Tantùm credas quod fuit eſſe tuum.

Quod fuit, eſſe tuum narras dum, vane poëta,
Qui credat, non me, ſed tibi quære parem.
An Batraua ratis, littus cùm viderit Indum,
Eſt proprio poſtquam reddita fortè mari?
Quos ſecuit fluctus (quorum veſtigia nuſquam
Vlla relicta manent) dixerit eſſe ſuos?

Ænigma.

I. Eſt quod ſorbentem ſorbet: ſorbetur & ipſum
A ſorpto ſorbens. Dic mihi, quæſo, quid hoc?
℟. Vinoſus vinum ſorbet: ſorbentur ab ipſo
Vinoſi vino mens, bona, vita, decus.

Rex Soli ſimilis.

Nulla capit, ſed dat Sol commoda plurima cunctis
Per terras, motu, luce, calore, means.
Non ſua reſpiciat, ſed commoda ſola ſuorum
Rex, Soli ſimilis, qui bonus eſſe cupit.

Homi-

Gaeliceis
n'dio.

Homines ingeniosi in falsis fingendis.

Ingeniorum cur est fons vocitatus Homerus,
Cui studium tantùm scribere ficta fuit?
Ingeniosa viget mens vatum ficta loquentum:
Seria tractantum ceu stupefacta iacet.

Ex opinione pretia rerum. Ad primum Epigramma Anthologiæ Græcæ.

Bis geminos olim celebrauit Græcia ludos,
Constituens totidem præmia:cuique suum.
Lauros & pinus,oleastros atque selina,
Queis victoris erat mos redimire caput.
Tam viles,inquis,frondes! Ah desine; rebus
Lex & mos pretium conciliare solent.

Impuri impuris,puri puris gaudent.

Cœnosa dum sus se fortè palude volutat,
Ipsa sibi plaudit deliciásque facit.
Agnus at impatiens fœdi,sectator honesti,
Solamen puro purus ab amne petit.
Purorum puri sic delectantur amore:
Sed bene non puris fœda Mephitis olet.

Asperitas vtilis.

Asper vbi rubus est,ibi farris adorea surgit
Gloria triticei:est istius ille nota.
Aspera sunt,fateor, doctoris verba seueri,
Talis at asperitas vtilitate placet.

Spina. Mala indoles.

Spina suo primùm nascens dum surgit ab ortu,
Tangentis teneram pungit acuta manum.

Ingenij mores ſic ſunt plerumque maligni,
Nam ſolet eſſe nocens, ſit puerile licèt.

Vitis imputata.

Quæ tibi vitis adeſt, niſi falce putetur acutâ,
Palmite ſylueſcet, fructibus orba bonis:
Sic mens à vitiis ſi noſtra coërcita non ſit,
Tempore non longo luxuriabit iners.

Canis effœtus. Senum conſilium.

Qui iacet ante fores defectus viribus, acrem
Nec canis inſequitur, nec petit ore lupum.
Latrat at ille tamen: monitu quo paſtor ouili
Promptus adeſt, timidas vt tueatur oues.
Si, factis nequeunt vegetis prodeſſe, iuuabunt
Vſu prudenti conſilióque ſenes.

Electi Dei non poſſunt à Satana perimi.

Marſorum natæ Circæo ſanguine proli
Serpentes nunquam poſſe nocere ferunt.
Ille Patris ſummi fuerit qui lecta propago,
Palmes & in Chriſti vite creatus erit:
Serpentes Erebi non formidabit & angues,
In ſcelerum pœnas quos Deus alme paras.

Aſellus piſcis: Lurcones quorum
Deus eſt venter.

In patinis animus ſemper tibi merſus adhæret,
Cura ſaburrandi ventris & vna tibi.
Non ego te ſuibúſque velim conferre lupíſue:
Ingluuies quibus eſt haud ſatiata cibo.
Oceano ſed piſcis ineſt, cui nomen Aſello,
Cui cor in medio ventre ſedere ſolet.

Huic

Huic te persimilem si quis memorauerit, errat
Illum qui erroris fortè notare velit.

Geryon, fratrum gratia rara. Iustin. lib. 44.

Ætas Geryonem non rectè prisca gigantem
Ter gemino finxit corpore terribilem.
Tres sed erant fratres: mens vnica fecerat vnum:
Esset in vno ceu corpore clausa trium.
Vnum velle tribus, tribus vnum nolle: fuítque
His adamantinus & non soluendus amor.
O rarum exemplum, cui vix sit in orbe secundum,
Quàm sit, vah! fratrum gratia rara docens.

Quanam actio manuum sit laudabilissima.

Actio quæ manuum sit laudatissima quæris?
Non verbis faciam, re tamen apse palàm.
Aspice sublatas orantis ad æthera palmas,
Quas pia mens excit, sustinet alma fides.
Hac vnâ, manuum laudatior actio non est:
Hac dici melior nobiliórque nequit.

Manus Mosis

Corui ex Galeno Sophistæ.

Ingenti numero, strepitu maiore sonantes
Coruos, dum volitant dum crocitántque, vide.
Ordinis hîc nihil est: nec possis dicere quisnam
Ex tanto sileat, non sileátve grege.
Illis assimiles estis, mala turba, Sophistæ,
Aëra rixosis sueta ferire sonis.
Estis & absimiles: quia vox est noxia vobis:
Coruorum nullis dat nocumenta sonus.

Maledictis non moueri.

Criminibus diris vrgeri sæpe bonorum
Famam, si nescis, aspice; Luna docet.

σελήνη (L. S.)

Hanc labi cœlo magicis vt cœtibus adſit,
(Quò ruit impietas!) turba ſceleſta canit.
Attamen hæc proprio nunquam diſcedit ab orbe,
Innocuas pergens ire redire vias.
Exemplo Lunæ, quem dira calumnia mordet,
Dum facis officium, ne moueâre, caue.

Prudentia in circunſtantiis obſeruandis. Ex Vindiciano Medico apud diuum Auguſtinum.

Idem morbus, ais, iuuenem qui fortè premebat,
Nunc rediit, grauiter te cruciátque ſenem.
Et vis nunc eadem præberi pharmaca, quorum
Es pridem tutâ iam releuatus ope.
Vindicianus adeſt: fretus qui legibus artis
Obſtat, & illa dari pharmaca priſca vetat.
Nec malè. Non ætas eadem, non corpore toto
Robur idem, non mens, non modus atque locus.
Quæ ſi prudenter re non ſeruentur in omni,
Continuò peſſum qualiacunque ruent.

Oculus Domini.

Frons prior occipiti, dicebat Tullius olim,
Vt famulis curas inderet ipſe ſuis.
Si præſens oculo vigili tuearis ouile,
Multo diſtendent vbera lacte greges.
Sin rerum procul abſcedas incurius, addes
Cum primis ſubitò damna ſecunda tuis.

Bene tacere & bene dicere.

Artem quòd bene vis dicendi diſcere, laudo:
Vſus enim docti eſt maximus eloquij.

Culmen

Culmen vt attingas at laudabiliter illud:
Disce tacere bonâ cum ratione priùs.

Sebastianus Canus primus orbem circundedit naue. Non orbem sed orbis conditorem quærere.

Quid retulit Canus rate qui circundedit orbem,
Multa ferensque solo, multa ferensque salo?
Nomine CANVS erat, florens ætate profectus:
Re canus fractus membra labore redit.
Fœlix in patrio quisquis lare viuit obitque,
Non orbem, at Dominum totius orbis amans.

Immeritò exosus. *Ierem.* 12.9.

Noctua sum: volucrum nulli quæ noxia, passim
A reliquis auibus sæpe petita, gemo.
Quid facias? talis sors est plerumque bonorum,
Immeritis odiis quos premit inuidia.

Nosse potiùs quàm nosci.

Ex his es notos iactat quos publica fama:
Cùm vix ipsa tibi sit tua nota domus.
Es statuæ similis cunctis per compita notæ:
Quæ sensus nihil & cognitionis habet.

Situ non sentibus obruti campi. Otiari potiùs quàm malè operari.

Arua situ potiùs quàm sentibus obruta sunto.
Illa nihil prosunt, valde sed ista nocent.
Quæ sine fruge quies, est præponenda labori
Impigro, nocuum profluit vnde malum.

L

Doctor benignus. Ex illo Columellæ. Voce potiùs, quam verberibus terreantur boues.

Quiſquis amas iuuenum ductor laudatus haberi,
In ſpem virtutis quos alis eximiæ:
Fac vt taurorum prudens imitere magiſtros,
Verbera qui non hos, ſed mage voce regunt.
Orbilius ne ſis: te verba ſeuera verendum
Reddant: atrox nil lingua manuſve patret.
Nil ſeruile placet. Procul eſto coactio ſæua:
Sponte ſuâ duci mens generoſa petit.

Ex eodem Columella lib.1.cap. 8.

Quod neſcis, ne ſcire putes: & quærito ſemper
Diſcere: quò quod ages id bene ſemper agas.
Namque iuuat multùm quod agis feciſſe peritè.
Aſt oberit multùm non bene quicquid agis.

Amicitia ſpreta.

Quaque die numeras capros & ouéſque ſuéſque:
Namque libenter amat pectus agreſte pecus.
Vix vnum tota vita numerabis amicum:
Humanæ temnis ſydus amicitiæ.

Sophiſtæ contemnendi.

Si qua fides famæ, ranarum corpora rumpit
Ieiuno ſputum quod iacit ore puer.
Turba ſophiſtarum ranas imitata, cauillis
Omnia conturbans, nil ratione gerens,
Non ratione, vel eſt verbis vrgenda: ſed vno
Ceu Vili ſputo deſpicienda venit.

Curius

Curius rapas præferens auro.

Sit tibi rapa cibus, maneat pietásque fidésque;
 Mentis, quàm mensæ nam magè cura placet:
Sic illam Curios Samnitum prætulit auro:
 Diuitiis potior cui fuit integritas.
Fraudibus absit te des fortè rapacibus: opta
 Ieiuno potiùs sit tibi rapa cibus.

Gallus cantu solem sequitur, & in octo partes diem diuidit. Christus solus est inuocandus.

Galle, soles cantu soli comes esse meantis,
 Stellas aut lunam non tibi cura sequi.
Galle, tuo exemplo Christum, solémque, ducémq;
 Mente peto solum: cætera turba nihil.
Sunt laudabilium memoranda exempla virorum:
 Illos duco nefas esse putare Deos.

Vnus Sol Vnus Christus Deus.

Mollugo & Asperugo herbæ. Moderata placent & iuuant.

Mollugo stirps hæc, Asprugo sed illa vocatur,
 Disparium morum tessera dissimilis.
Has seiunge, parùm conducent: iunge, seueri
 Et mitis fiet commoda temperies.
Qui nimiùm rigidus fuerit nimiúmque remissus,
 Vtilis aut gratus non valet esse suis.
Inter vtrumq; manens medius, prodéstque placétq.
 Qui nec adulari nec cruciare solet.

Senum oculi. +

Deficiunt senibus spectantia lumina terram,
 Quanquam γῆν ὁρῶν dicitur esse γέρων.
Scilicet vt terræ capiant obliuia: cœli
 Tangat amor vehemens, perpetuúsque senes.

+ L. S. Achilli H. P. P.

Senum pedes.

Ferre pedes senio si languida membra recusant:
Et te nutantem ferre recusat humus,
Euehitor fidei pennis: sic incola terræ
Dum fieri cessas, incipis esse poli.

Persecutione crescit Ecclesia.

Lætior herba venit, ferro quæ falcis acutę
Tondetur, prati sic geminatur honor:
Sic quos ense fero sequitúrque petitque tyrannus,
Christiadas, penitùs quos periisse cupit:
Hòc magis augentur, numero, pietate, fidéque:
Quò magè vult illos trux abolere furor.

Adorare quid sit. ex Plinio in præf. lib. 32.

Numen adorandum curuato corpore monstrat
Cultor arans, quando curuus adorat humum.
Pendentes propria cernas vt ab arbore fructus,
Attentus cœlos vt tueâre decet.
Quos tellus fundit fructus, Pomona Cerésve
Non dant, aut falso nomine réque Dij:
Quod prudens natura docet: largitur at illa
Solus adorandus, corpore, mente, Deus.

Votum Apollonij apud Philostratum. Nosse bonos, à bonis nosci, ignorare malos, & ignorari à malis.

Nosse bonos, noscíque bonis, non vltima laus est:
Quam consueuerunt commoda multa sequi.
Nosse malos, noscíque malis, res proxima damnis
Nec non ærumnis innumerabilibus.

Hoc vt ego vitem, ſed ſedulus aſſequar illud
Si detur: dabitur res pretioſa mihi.

Ad votum eiuſdem, Pauca habere, & nullis egere.

Quantas Crœſus opes habuit, nec ſcire laboro,
Nec mihi tam magnas opto petóve dari.
Iri nec triſtem mendici poſtulo ſortem:
Nam res eximias non ſinit illa geri.
Non egeam ſatis eſt: vt abundem negligo: durum
Eſt vt habere nihil, ſic & habere nimis.
Verùm, quicquid ero, ſemper ſors illa placebit,
Quæ ſancti ſtabit numinis arbitrio.

Pappi volitantes. Senex deſipientes.

Aëra per vacuum volitantes ſuſpice pappos,
Canities demum quos facit ipſa leues.
Conſtanter fixi iuuenili in caule manebant:
Fluxilis in veteri ſed mouet aura ſcapo:
His nonnullorum mores conferre licebit:
Qui iuuenes ſapiunt, deſipiúntque ſenes.

Centaurus. Prudentia & fortitudo.

Centaurus datus eſt morum formator Achilli,
Graiorum veluti priſca camœna refert.
Prudentis, fortiſque ducis ſic pingitur εἰκών,
Nam vir conſilio, robore pollet equus.

Superſtitio. Ex Ioanne Iouiano Pontano.

Eſſe nequit ſcabies vſquam ſcabioſior vlla,
Quàm religans mentes vana ſuperſtitio.

Εἰς δεισιδαιμονίαν.

Eſt præceps & cæca, leuis, ridenda: leuéſque,
Præcipites, cæcos, ridiculóſque facit.
Hoc ætas veterum vidit perſæpe diúque:
O vtinam nunc non noſtra videret idem!

E ſeruo Rex, è Rege ſeruus.

Furcifer antè fuit, qui nunc eſt ſceptrifer: & qui
Furcifer eſt nunc, is ſceptrifer antè fuit.
Id ſortis cæco natum ne credito fluxu,
Quod fecit fortis prouida cura Dei:
Qui laqueo torquem, laqueum qui torque repente
Mutat, vt Irus ſit qui modò Crœſus erat.

Nubes in aëre multiformes.
Spes Inanes.

Suſpice per latum ſuſpenſas aëra nubes,
Et nubi quæ ſit cuique figura, vide.
Iſta leoninos rictus, vrſóſque, lupóſque:
Et pardos, iunctis tygribus, illa refert.
Semiboues, & ſemiuiros: cum ciuibus vrbes
Hæc gerit: illa parit prælia, caſtra duces.
Hæc ſimulachra modis oculos fallentia miris
Eſſe videntur, re ſunt tamen ap ſe nihil.
Omnibus his hominum ſpes æquiparantur inanes,
Nil pariunt, etſi plurima parturiant.

Paraſitus.

Aſſecla menſarum.

Qui tibi blanditur canis & comitatur euntem,
Rure, domíque, tuas & cubat ante fores.
Falleris eſſe tui, forſan ſi reris amantem,
Non te, ſed menſam captat amátque tuam.

Megarei

Megarei cæci Chalcedonem solo Bizantino præferunt.
Mala à nobis.

Vbere Bizanti gleba cùm degere posses,
Chalcedon, Megareu, est macra lecta tibi.
Si premit esuries te nunc: vah! carpere noli
Alterius culpam: carpere disce tuam.
Sic mala mortales facimus quæ plurima nobis,
Non aliis, nobis sed tribuenda puto.

Deus omnium alumnus. Islandicus panis ex piscibus frigore duratis.

Deus παντοτρόφος

Æqua Ceres non est Islandis: farrea namque
Dona negat: non est his sed iniqua Thetis.
Frigore duratos pisces dat & arte molendos:
Pinsitur, excoquitur panis at inde frequens.
Dat rigor his victum, calido cùm cætera viuant:
Quæque solum non dat, suggerit illa salum.
Numinis admirans robur sapientis adora,
Et dic, cuncta Deus qui creat, vnus alit.

Herus Gulosus.

Debet habere gulā domini coquus, inquis: at erras,
Vnam si domino credis adesse gulam.
Est gula nam totus dominus. Non ergo petenda
Vna gula: at cunctas debet habere coquus.

Contra illud Plauti in Captiuis: Dij nos quasi pilas homines habent.

Ludentes pueri gaudent quam mittere, quæque
Hinc illinc volitat, missa remissa pila:
Rebus in humanis, incommoda, commoda, miras
Fluxas & celeres dictat inesse vices.

ἀεὶ Θεὸς ἐργάζεται.

Alis præpetibus paupertas aduenit, alis
Præpetibus veniunt, & remouentur opes.
Numinis, ah! caueas hunc lusum dicere: nunquam
Ludit; agit semper seria quæque Deus.

Dodonæa quercus. Sophista.

Quæ siluit Dodona loquax est facta deinde:
Ex illa Dæmon nam mala verba dedit.
Elinguis fuit: est nunc ore Sophista petulcus:
Illius est Dæmon dirus & ore loquens.

Æquicolæ populi.

Non Ligures, Thuscos, Marsos, populósve Sabellos
Esse mihi iunctos opto, sed Æquicolas.
Sed quia vix æquo restat locus vllus in orbe:
Terra vale: cupio visere cœlicolas.

Philomela. Ex Plin. lib. 10. cap. 29.

Quòd varios vno, quòd magnos corpore paruo,
Gutture quòd nitido das Philomela sonos,
Est meritò mirum cunctis: imitabile nulli.
O, tibi si quod adest, posset adesse mihi!
Spiritus antè tibi quàm cantus deficit, adsunt
Vltima dum vitæ tempora certa tuæ.
Spiritus & cantus me sic comitentur, vt ore &
Mente Deum viuens, commoriénsque canam.

Commune cœlum stellis omnibus quantumuis differentibus.

Aspice, quæ rutilant multo discrimine, stellas:
Quásque tenet vitrei lamina pura poli.
Harum cernuntur distantia corpora multùm,
Non vno motu, lumine, mole, situ.

His

Stella à stella differt vid. Paulum.) κοινὸς ὁ οὐρανός.

His cœleste solum tamen est commune: minor sit
Illa: sit hæc maior: par habet hasce polus.
Sic commune bonum sanctis est omnibus vnum:
Sint licèt hîc minimè conditione pari.

Ex Vegetio li. 2. cap. 29. Miles Romanus. Ex D. Paulo miles Christianus.

Senos tyro pedes sit longus, liber, & annos
Quinque ter atque duos natus, vt arma ferat.
Hac Marij narrant delectas lege cohortes:
Romulidis fuit hanc & violasse nefas.
Saluificis Christi res non sic cedit in armis:
Qui facilis cunctos in sua castra vocat.
Barbarus & Græcus, mas, fœmina, diues, inópsque,
Et breuis, & longus, seruus & ingenuus,
Militat hîc: Deus est Rex: Christus summus & est dux:
Arma fides: pietas tessera: palma salus.

Amygdalus fixo clauo fit feracior. Ex Arist. Ecclesia viret in persecutionibus.

Clauus amygdalea figatur in arbore: fructus
Prouentu multos vberiore dabit.
Est Christus fixus clauis, Ecclesia clauos
Passa graues, claret viuidiórque viret.

Mala vicina bonis.

Non rosa, non violæ tantùm nascuntur amœno
Vere: sed vrticæ proxima spina viret.
Temporibus, fateor, surgunt bona plurima nostris:
Sunt tamen, heu! nimiùm multa propinqua malis.

Cum tempore mutari.

Occultant æstu spineta calente lacertos,
Quos è spinetis traxerat antè calor.

Temporibus mores mutari posse, lacertus
Humano gaudens admonet intuitu.

Formosa & deformis par conditio.

Albus olor coruúsque niger dant debita morti
Corpora: tardius hæc, ocyùs illa rapit.
Ne Nigrina dole: ne sis, Albina, superba:
Candida, nigra pari iure modóque cadunt.

Ad illud Iuuenalis, Cùm de te splendida Minos fecerit arbitria. Aequa mors diuiti & pauperi.

Minois vocitas arbitria splendida: quare?
Nam mors splendoris nil tenebrosa gerit.
Nēpe quòd vrna capax, nomē dum cōmouet omne,
Non inopum tantùm tangere rastra solet:
Induperatorum sed versat gemmea sceptra,
Splendentésque quatit nobilitate domos.
Æquat mors magnum paruo: diadema ligoni:
Non Minois, sed numinis arbitrio.

Mortui in Christo coronantur.

Mos erat antiquis, vt quos ex turbine vitæ
In portum stiterat non reuocanda dies,
Impositam ferrent supremo fine corollam
Victricis palmæ, quæ nota læta foret.
Da Lauros: moriens peccatis euolo liber:
Et Christi dat mors certa trophæa mihi.

Manus humanæ præstantia. Ex Galeno lib. de vsu part. corp. humani.

Præstat equus celeri cursu: bos robore, mole
Barrus, homo mira dexteritate manus.

Illa

Illa poteſt rigidos agilis ſuperare leones,
Et flectit quò vult,atque reflectit equos.
Illa capit ceruos,ſubigit cum lyncibus vrſos,
Illi dum modò ſit mens bona iuncta comes.
At Deus orandus mentémque manúſque gubernet:
Abſque Deo nil mens:nil ſine mente manus.

Inconſtantia rerum humanarum.

Sperabam gelidos hyemis procul ijſſe rigores,
Idus Martis enim præteriere graues.
Ecce tamen Boreæ penetrabilis aduenit algor,
Ceu rurſum triſtis nunc rediiſſet hyems.
O res incertas hominum! quæ læta putantur,
Momento verſis cernimus ire modis.

Ex Deuteron.22. Nihil verſipelle gratum Deo.

Ne lini ſtamen lanæ ſubtegmine texe:
Ne vario vitem palmite fortè fere:
Cultum multiplici ne ſemine ſpargito campum:
Sed nec arans aſino conſociato bouem.
Synçerum ſimpléxque placet:variabile cui ſit
Ingenium,poterit non placuiſſe Deo.

Laus T. Pomponij Attici equitis Romani. Nec loqui nec pati falſa.

Attice magnus eques,verè meritóque vocaris;
Cui ſemper veri mens ſtudioſa fuit.
Falſa loqui,vel falſa pati,cane peius & angue,
Vt memorant,animo ſueuerat eſſe tuo.
Quòd ſi veraci tu ſemper es ore locutus;
Attica non tibi mens Græcáve lingua fuit.

Paeonia Hispanica floribus abundans semine caret. Iactatores.

Pæoniæ, quam mittit Iber, flos ebrius ostro,
Luxurians foliis, seminibúsque carens;
Ostentatoris typus est expressus inanis,
Præstantis verbo multa, reapse nihil.

Ecclesia. Domus Christi.

Crystallo nitidâ cur purior esse Lemanus
Assolet, in quem nunc sordida multa fluunt?
Spumanti ripæ sordes quia reddere nouit:
Insolitus quas est indocilísque pati.
Fas mihi sancta domus Christi te æquare Lemano:
In qua plus vno degit agitque Sinon.
Pura tamen perstas: hircósque, suésque, canésque
Eijcis: ast agnos, libera sorde, foues.

Centumorbia & Adonis planta. Prodesse & placere.

Hæc, quam calcat iens passim rediénsque viator
Herba, malis centum ferre putatur opem.
Illa sed in cultis florens quæ nascitur hortis,
Suauerubens pulchri nomen Adonis habens,
Vix vni potis est morbo succurrere: gaudent
Hanc tamen vt iuuenes sic coluisse senes.
Viuitur hoc inter mortales more modóque:
Quod prodest, vile est: quod placet, appetitur.

Aranea.

E proprio infamis deducit aranea ventre,
Quo texat telæ stamina fœda suæ.
Et maledicta, bonos vt vulneret improbus, ex se
Pure grauis multo, non aliunde trahit.

Quacun-

Quæcunque aqua ignes extinguit. Verba etiam non ornata docent.

Vritur Vcalegon, tecto depellere flammas
Abnuit: huic si non limpida detur aqua.
Demens! qui flammas quauis non deputat vnda
Extingui, præsens auxiliúmque fugit.
Sentit idem quisquis vitiorum tollat vt ignes,
Splendida, verùm non dogmata sana petit.

Vide Theodoretum.

Meretricia lucra. Liuius Decad.3.p.264.

Non ego te Veneris cultorem dixero, quanquam
A te sunt Veneri condita templa Fabi.
Sed quoniam Veneris meretrices castra secutæ,
Æra sibi, Veneri nil tribuêre suæ.
Iniustum iusto partiris pondere lucrum,
Vt partem meretrix, partem habeátque Venus.
Sic quæ tecta diu latuerunt fornice furta,
Hæc Veneri profert ædificata domus.

Liuius Decad.3.lib.3.

Et Veneri & Menti dicuntur templa Quirites
In Capitolino constituisse iugo.
Hoc docuêre modo, quòd si sine mente petatur
Cypria, dementes degenerésque facit.
Sin eadem menti fuerit coniuncta, probatæ
Naturæ famulans secla animata dabit.

Ex' Apoolinar.

Apelles mersâ, quàm pictâ Venere laudabilior.

Aequore nascentem Venerem quòd pinxit Apelles,
Hellados ornatur laudibus innumeris.
Aequore si penitus mersam oppressisset eandem,
Commendabilior nullus Apelle foret.

Filipendula herba. Humana tenui filo pendentia.

Mortalis generis typum videre
Optat quis? properet videre stirpem,
Nomen pendula cui dedêre fila.
Oenanthen solet Hellas hanc vocare,
Quòd vini referat colore florem.
Res florent hominum breui parúmque,
E filo tenui leuíque pendent.
Quas quum stare diu & valere credit
Vulgus, præcipiti cadunt ruinâ.
Hoc quicunque videt, quis ausit, eheu!
Longas ducere spes, putétque certas?

Virtus vera non est, vbi gloria quæritur.

Cur te nil dixi veræ virtutis habere
Accipe: nam temerè non leuitérve loquor.
Non placitura Deo, reliquis aut commoda curas:
Gloria, quicquid agis, quæritur vna tibi.
Ipsa sibi merces virtus est vna: satelles
Illius illam optat, prætereáque nihil.

Dauidis laus suprema, pietas.

Pulcher erat Dauid formâ linguáque disertus,
Laudis puncta simul rettulit illa duo.
Huic fuit & vehemens pietatis candor & ardor:
Hæc laudum dici maxima iure potest.

Apertus & latens hostis.

Dum latrat catulus, morsu non lædit: at anguis,
Qui tacito virus proiicit ore, necat.
Sic est occulti discrimen & hostis aperti:
Hic terret; sensim sed parit ille necem.

Simia-

Simiarum est se mirari. Ex Synesio.

Seius & Titius componunt carmina multa:
Illa tamen tota nullus in vrbe legit.
Inter se soli plaudunt, mirantur & ipsi:
Illius hic versus, huius & ille canit.
Ne mirare: sibi sic plaudunt cercopitheci:
Miratúrque sibi simia stulta parem.

Mos *tyrannus.*

Socraticâ non est infamis morte cicuta,
Nullius & sceleris labe notanda fuit.
Infames semper sed damnabuntur Athenæ,
Contra ausæ sophiam grande patrare nefas.
Pessimus at meritò Mos dicitur esse tyrannus:
Peccanti parcit, percutit innocuum.

Sacra Scriptura paucis continet omnia.

Auriferi fluuij dum secernuntur arenæ,
Auri multa probi reddit arena parum.
Charta sed à cœlo quæ missa oracula celat,
Thesauros omnes continet vna breuis.
Paucum aurum ex multis conquirit auarus arenis,
Numen in exili codice quære pius.

Gratias ago criminantibus, non minùs quàm laudantibus. Chrysost.

Vituperat Titius: sed laudat Seius: illis
Ambobus grates opto referre pares.
Huic, quia dum laudat, qualem decet esse, docet me,
Et laus laudato grata placere solet.
Illi, quòd carpens, in me descendere cogit
Et circumspectè viuere: sicque iuuat.

Non tantùm prodeſt mellitus amicus amico:
Commoda nonnunquam felleus hoſtis habet.

Auaritia inexplebilis.

Nulla ſeges cupido potis eſt parere colono,
Virgilij veluti ruſtica muſa canit.
Nam(ſi Campanis iungantur Gargara,vel ſi
Myſica cum Siculis cum Lybicíſque ſatis)
Nunquam plenus erit gurges cupientis auari:
Da ſemper:nunquam dixerit eſſe ſatis.

Adiantos herba. Cauenda voluptatum illecebræ.

Non madeo:ſemper mediis at verſor in vndis,
Et non molleſco flumine mollis aquæ.
Vos quibus inſidias molitur blanda voluptas,
Ducit & ad fontes exitioſa ſuos:
Heu! ſapite:exemplóque meo bis térve cauete,
Mollibus vt nimiùm non madeatis aquis.

Babylon conſtructa & euerſa.

Mirandarum inter ſpectacula maxima rerum,
Eſt arces,Babylon,mos numerare tuas.
Has,fuit immenſus labor exſtruxiſſe ſuperbas:
Deſtruxiſſe labor ſed fuit exiguus.
Quî fit id? has hominum ſolertia curáque ſtruxit:
Deſtruxit iuſti cura manúſque Dei.

MEVM *herba.*

Qui legitis MEVM,medici,diteſcite: vobis
Seruantes veſtrum,ne capitote meum.
Sic ſanus,vobis medicamina veſtra relinquam:
Æra relinquetis vos mea pauca mihi.

Imoc

Mevm ✗ Tvvm ✗

Iocus de quodam, qui pro Inula legebat Mulam.

Ex inula mulam fecisti Rufe, legendo,
Mutato minimæ nomine literulæ.
Quid doctrina feret, tibi si ignoratio prodest?
Herba nihil venit: mula sed ære venit.

Morus & amygdalus. Tardiùs, Ocyus ferre fructum.

Vltima florentum, non vltima frugiferentum,
Momentum laudis non leue Morus habet.
Flore prior multis festinat amygdalus vt sit:
Ast eadem fructus est dare tarda suos.
Posterior sis, siue prior, non quæritur: at te,
Tempore laus fructus, magna, tulisse tuo.

Rubigo ferri & ingenij contrariæ.

Est ferrum mala rubigo: sed quicquid ab illa
Est reliqui, ferri fit decus eximij.
Præstantes ex hoc gladios faber efficit arte:
Sic ea conducunt quæ nocitura putes.
Est mala rubigo mentem: sed quicquid ab illa
Restiterit, mentis dedecus illud erit.
Otia sic animos mala deprædantur inerteis:
Segnities illos ast hebetare solet.

Mors neque declinatur neque flectitur.

Omnia Grammatici declinant nomina, flectunt
Omnia, quæ flecti regula certa iubet.
Excipito Mortem, quam natio Grammaticorum
Declinare nec est flectere tota potis.

Ratione mutari.

Socratis vna fuit mens semper, vultus & vnus,
Hinc sapiens aliis dicitur esse magis.

Dicitur:at minimè fuit is:ſapientia namque
Temperat aptè res,tempora,facta,locos.
Et mutat ſapiens mores,mutantur vt illa:
Nec minùs inde boni dicitur eſſe tenax.
Connubio natæ matrem gaudere vetares,
Aut triſti nati funere flere ſui?
Hoc eſt naturæ ritu pugnare gigantum.
Quî verò ſapiens,qui facit iſtud,erit?

Homo nihilo minus.

Vmbra,cinis,puluis,ros,nubes,halitus,aura,
Flos,vapor,vnda fluens,fabula,bulla,nihil.
Hæc audis? hominem dic vocibus hiſce notari.
Fallor.Homo nihilo cernitur eſſe minus.

Daulius mons. Spes inanis.

Me labor & ſudor duxit vehementer anhelum,
Culmen vbi ſummum Daulius altus habet.
Inde ſalutares ſperabam vellere plantas,
Sed labor in caſſum ſpes abiítque mihi.
Non humus hîc, non ſtirps , non gramen , flóſque, virórque:
Nuda ſilex horret,tabificúſque lapis.
Sic ſolet in multis hominum contingere rebus:
In ventos abeunt,ſpéſque labórque leues.

Fama & Calumnia ſorores.

Eſt volucri Famæ plerumque Calumnia iuncta,
Illius hæc etenim dicitur eſſe ſoror.
FAMA quidem mollis flexu magè fluxilis vndæ,
Eſt volucrum pennis ocyùs alta petens.
Eſt Euri Zephyríque leuis pernicior auris:
Nec res,aſt vmbras fértque refértque meras.

Verùm

Verùm acie gladij damnanda Calumnia sæui
Quos ferit innocuos, scit penetrare magis.
Syrenum Circésque sonis plausúque suadet
Blandiùs & leuiùs, credula corda mouens.
Perforat igniuomis vehementiùs atra sagittis
Immeritos, nulli parcere sueta bono.
At modus est tandem, quo detestabile monstrum
Vincatur telis non noceátue suis.
Nil conscire sibi, vitiis procul omnibus ire,
Inspectore frui, iudice, teste Deo:
Cautibus est Iuræ clypeus securior: ictus
Depellens linguæ, felláque dira malæ.
Sed ferit innocuos damnanda CALVMNIA sæuo
Ense magis, morsu vipereóque magis.

Πολυλογία inutilis.

Vicinis circùm non prosunt murmura campis,
Edita dum streperâ diffugit amnis aquâ.
Non prosunt vacuum iactata per aëra verba.
Quæ bene vox mentes erudit, illa iuuat.

Pictor & Præco periti, parum pij.

Affabrè pingit pictoris dextra periti,
Cuius mens pulchræ nil pietatis habet.
Illum præco refert, pleno qui iactitat ore,
In ficto quæ non pectore sacra gerit.

Ad illud Horatij. Inuolue te virtute tua.

Inuidiâ inuoluunt dum se plerúmque maligni,
Artibus illaqueent, vt perimántque suis:
Te virtute inuolue tuâ: serpente profecta
Cadmæo poterit nulla nocere cohors.

L. S.
De grace quam tue virtute.

Mea me virtute Inuoluo
L. S.

Virtute Dei inuolui.

Absit ego virtute mea me inuoluere tentem,
Qua nihil esse minus debiliúsue potest.
At cœli si me virtus inuoluat, ab omni
Parte valens, tutus, tectus, & aptus ero.

Ad illud Plinij de Iulio Cæsare lib. 7. cap. 29. Sublimitas Cæsaris omnium quæ cœlo continentur capax.

Fertur cunctorum quæ cœlo cunque tenentur
Sublimi Cæsar mente fuisse capax.
Ille sui si fortè capax vixisset, in orbe
Romano maior Cæsare nemo foret.

Deus est semper idem.

Dum comes est Aries Soli, sol vnus & idem
Tellurem decorat floribus innumeris.
Sub Cancro flauas messes coquit vnus & idem,
Idem sub Libra mitia poma facit.
Vnus & est idem cùm se mouet in Capricorno,
Qui valido gelidas frigore sistit aquas.
Omnia sic abeunt passim variantia: sed Sol
Non varius varias ítque redítque vias.
Ah! pudeat fœdos Epicuri de grege porcos.
(Miris cuncta modis dum variata vident)
Dicere mutari numen pro tempore: cunctæ
Res variant, varius sed nequit esse Deus.

Morbus regius. Opinio.

Auroso veluti creduntur tincta colore
Omnia, si croceam tinxerit arqua cutem:

Sic

Sic quando fallax vim fecit opinio menti,
Qualia confingit, talia vera putat.

Adoleſcens deploratæ ſpei.

Copia ſi florum fuit, & non copia frugum:
Telluris non eſt culpa putanda bonæ.
Sic tu ſpem ſi non exples & vota tuorum:
Illorum non eſt, ſed tua culpa, miſer.

Contra illud Lucretij de Venere. Sola potes tranquilla pace iuuare.

Deſine, Lucreti, Venerem laudare, quòd almæ
Sit pacis genitrix, neſcia diſſidij.
Illius in regno iuuenum ſunt prælia crebra,
Qui mala diſcordi iurgia lite ferunt.
Illius eſt olim triſti colliſa duello
Græcia, Pergamei quo periêre lares.
Vera tamen narras, Lucreti, Cypria pacem
Gignit, vbi tandem conglaciata iacet.
Corporis exhauſtum robur, morbíque frequentes
Sunt Veneris ſoboles pauperiéſque grauis.
Quæ ſimul ac venêre, Procul, procul arma: quietem
Cum ſomno atque foco clamat, amátque Venus.

Luto obruitur ſemen, ariditate necatur. Nimio cibo & nimio potu hebetatur ingenium.

Humida terra Lutum fit: fit nimis arida puluis:
Fœcundas meſſes reddere neutra poteſt.
Nil agit ingenium, nimiùm cùm parca vel ampla,
Deficit aut onerat copia ſumpta cibi.
Et placet, & prodeſt quicquid mediocre paratur:
Extremis vitium ſemper adeſſe ſolet.

Obsistendum Satanæ.

Vt Crocodilus hians sequitur, si fugeris: at si
Hunc sequeris, videas tum dare terga fugæ.
Sic Satanas, si fortè paras obsistere, longè
Aufugit: at timidè si fugis, insequitur.

Libertas Christiana.

Mortuus & seruus, viuus liberque putantur
Non temerè vulgò conditione pares.
Hinc ego mortales vitij nego viuere seruos,
Velle Dei nolunt, Nolle Deique volunt.
At tua libertas si, Christe, reuisat amœna,
Tum viuent semper libera corda Deo.

Merita humana, & merita Christi.

Humanis meritis fieri se posse beatum
Qui putat, hic cœlum, dic mihi, quale petit?
Labile: quale ferunt antiqui carmine ficto
Ceruice Atlantem sustinuisse sua.
At cœlum Christi meritis & munere partum,
Perpetuum est, & nil mobilitatis habet.

In eandem sententiam.

Ibit in Atlantis fluxum sine robore cœlum,
Humana fœlix qui cupit esse via.
Certus at ille Dei conscendet limina firma,
Cui fuerit Christus, lux, via, vita, quies.
Illud, amore sui quicunque replentur inani,
Experientur, habent qui tamen inde nihil.
Hoc habet is, miserum quem culpa repellit & angit:
Et fidens Christo conuenienter agit.

In eandem.

Si nihil eſt extra cœlum, ſuprâve, deorſum
Si nihil eſt: contrà quod cernitur vndique ſurſum:
Quid fortes humeros cœlo ſupponere iuſſit,
Atlantem validis firmantem viribus orbem?
Fixit vbi ille pedem, molem quo verteret illam,
Immotus motam, requieſcens irrequietam?
Scilicet inſipiens fuit hæc ſapientia vatum,
Abſque Dei cœli penetralia luce petentum.
Quàm meliùs Moſes! Nil cùm foret, omnia fecit
Velle Dei: cœlóque dedit volui atque reuolui,
Æquato magnam librans examine maſſam.
Cúmque laboranti ſimilis ſit totus Olympus,
Abſque labore tamen ſeſe ſequitúrque, fugítque,
Indefeſſus iter peragens. Deus optime cœli
Fornice contectum me ſic rege, totus vt ad te
Adſpirem, & ſupra digneris ponere cœlum.

Fluuioli duo ſemper turbidi, quorum alter ODIVM *vocatur, lingua vulgari: alter* IRA, *in agro Cluſino.*

Hic ODII nomen fluuius gerit: ille ſed IRAE,
Non lætis ambo, ceu patet, auſpiciis.
Propterea nunquam fluit illis clarior vnda,
Nam tantùm turbas ira odiúmque ferunt.

Ad illud, Malim vnum Catonem, quàm trecentos Socrateis.

Socrate quòd ſueſcis pluris feciſſe Catonem,
Nec laudare, nec eſt vituperare meum.
Maxima virtutis laus ſplendet rebus agendis:
Hac inſignis & eſt conditione Cato.

Sed quòd gaudebat noctem traducere vino;
Hæc labes magni magna Catonis erat.
Socratis enituit præstans doctrina: proinde
Promeritæ laudis præmia multa tulit.
Idem communes curas exhorruit: inde
Hoc commendari more modóque nequit.
Perfectum toto nihil vnquam vidimus orbe,
Nam mala ſunt nimiùm ſæpe propinqua bonis.

Inexplebilis auaritia.

Sulphura cum tædis, & lignis iungere ligna,
Vt ſaties flammas, non bene ſanus, aues.
Nec bene quo penitus pectus ſatietur auarum,
Accumulas opibus non ſatiandus opes.
Auri ſacra fames venientes creſcit in horas,
Argentíque modum neſcit habere ſitis.

Non duci affectu. Ex Ionæ cap. I.

Quæ genuit Cicion, ſubitò nox vna peremit;
Id verò Ionas vidit & indoluit.
Aſt idem voluit Niniuen periiſſe, carentes
Mortales numero quam tenuiſſe ferunt.
Quiſquis es, atque audis Ionæ contraria vota,
Ne diſce affectu, ſed ratione regi.

De libro Apodemico Salomonis Neuguebaueri Boruſsi.

Quæ peregrinanti ſeruanda ſit árſque modúſque,
Et doctè & breuiter, Neuguebauere, doces.
Perplacet, & multis prodeſt labor hic tuus: at mî
Gratior exponam qua ratione foret.
Mecum habitare doce: nũquam peregriner vt extra,
Et carpam cœli, te præeunte, vias.

Sic

Sic eris, vtilior quo non vel certior alter
  Ad cœlum ductor, Neuguebauere, mihi.

Ad illud D. Bernardi, Norim me, norim te: ſatis eſt, Domine.

Ignotum cùm nullus amet, non norit at vllus
  Ipſum ſe, curnam ſe tamen omnis amat?
Non amat, aſt odit, qui ſe non nouit: amare
  Te bene ſi vis, te fac bene noſſe queas.
Tunc bene te noſces, tunc & bene ſanus amabis,
  Si noſcas & ames téque Deúmque ſimul.
Noſcito me quæſo Deus, & me primus amato:
  Noſcentem vt noſcam notus, amatus amem.
Hoc tua ſi nobis concedat dextera, fœlix
  Térque quatérque, dari non ego plura peto.

Chaos antiquum & nouum.

Quòd Chaos antiquum digeſtis ordine cunctis
  Diſpoſuit ſummi prouida cura Dei;
Mirandum teſtatur opus robúrque potentis
  Artificis, cuius ſtant elementa manu.
At Chaos euerſis quod moribus hæc videt ætas,
  Cardinibus quo ſunt omnia mota ſuis,
Virtuti dum vix locus eſt, ſus déque feruntur
  Omnia, ſunt etiam præmia criminibus,
Quanta Dei nunc ſit monſtrat tolerantia: iuſtam
  Oſtendent olim flammea tela manum.

Aſſeclæ menſarum.

Si bona ſumma putas menſis adſiſtere regum:
  Quæ volitat, dici, muſca beata, poteſt.
Non etenim tantùm menſis adſiſtit: eorum
  Conſiliis, lectis, lancibus, atque ſcyphis,

Eſt comes. Adde etiam fert illis oſcula crebra,
 O rarus muſcæ ſic volitantis honos!
At regum captat calices dum muſca cibóſque,
 Eſt improuiſâ ſæpe perempta nece.
Aularum Gnatho, qui conſectabitur ollas,
 Eſſe ſibi muſcæ Fata cauenda putet.

Baſilij Magni vox.

Exili narrant, Baſili, te voce fuiſſe,
 Pertenuíque tuos edocuiſſe ſono.
Hoc ego vix credam. Chriſtum vox illa per orbem
 Quæ tulit, eſt quouis clarior ære tubæ.

Mirari & imitari Solem.

Scire vias Solis pulchrum: ſed pulchrius, ipſum
 Miratus ſolem ſique imitatus eris.
Perpetuâ labor hunc agitat vertigine raptum:
 Vlla nec eſt illi vel mora, vel requies.
Vitalis ſecum fert dona perennia lucis:
 Aduentu recreans ſingula quæque ſuo.
Solis ad exemplum fac otia languida vites,
 Vtilitas operi ſit quoque iuncta tuo.
Luceat & tua lux, vt qui te viderit, ille
 Dictitet, hic, vt ſol, eſt probitate micans.

Scæuola Romanus, & Barlaamus martyr.

Barlaamus dextram combuſſit, Scæuola læuam,
 Ambo ſunt, aliquis dixerit, ergo pares.
Non ita ſit: ſiquidem peccauerat iſte: ſed ille,
 Vt non peccaret, flammea damna tulit.
Ille Deo; patriæ voluit ſeruire ſed iſte:
 Iſte ſolô clarus, clarus at ille polo.
Non faciunt tormenta pares: par cauſa paréſque
 Effectus, laudes dant generántque pares.

Ari-

Aristotelis error, sensum carni tribuentis.

Ignoscat docti veneranda corona Lycæi,
  Non bene sentit enim, dum, Caro sentit, ait.
Nil caro, vel brutum tantùm, sentítve sapítve
  Quæ contra cœlos est inimicitia.

Ἱππουρος. *Cauda equina herba.*

Qui caudæ vires non ignorarit equinæ,
  Præferet hanc toti non dubiosus equo.
Bello armatur equus, fugit hinc cum sanguine vita;
  Est frutex vitæ & sanguinis ille stator.

Ἀλωπέκουρος. *Cauda vulpina herba.*

Laudatas inter segetes Vulpina subinde
  Illaudata malo semine cauda latet.
Sic in laudatis sanctorum sæpe coronis,
  Vulpinis homines moribus esse solent.

Prouidentia Dei in dierum & hominum dißimilitudine.

Assiduæ dator est lucis sol vnus & idem:
  Deme duas, luces non facit ille pares.
Cunctorum Deus est hominum sator vnus: at inter
  Perplures, binos vix videas similes.
Sunt motu, gressu, gestu, vultúque, sonóque
  Dissimiles, animis, moribus, ingeniis.
At tam multiplicis formæ discrimina monstrant
  Artificis mirum cunctipotentis opus.

Abies. Paupertati non denegatus locus ad laudem obtinendam. X

Est abies procera solo non vbere nata:
  Hanc tellure silex vix bene tecta gerit.

X De Fabricio.

At rigidas hæc ſueta niues & frigora ferre,
Celſior hæc reliquis fit tamen arboribus.
Paupere nate loco duróque, capeſſere laudis
Culmen aues? tanges hoc faciente Deo.

Ex Pſalmo 102. Omnia tanquam veſtimentum veteraſcent.

Quam geris aſſiduè, veſtis mutatur, & omni
Vilior euadit deteriórque die.
Hinc illi meritò vaſtus quæ continet orbis
Aſſimilat vatis dîa Camœna pij.
Aſſiduo ſiquidem curſu motúque fugantur,
Et motu fiunt deteriora ſuo.

In captatores auræ popularis.

Heu qualis quantúſque labor, ſudórque, calórque,
Elide præconis nomen vt ore ſonet!
Sors melior ſaxis (nullum ſine nomine ſaxum)
At nullo nomen ſaxa labore ferunt.

Nil luce clarius, nihil eadem obſcurius.

Cuncta latent abſente, patent præſente: nihílque eſt
Luce quod ætheriâ clarius eſſe queat.
Verùm quid ſit lux cùm poſſit dicere nemo:
Ætheriâ obſcurum nil magè luce reor.
Inde quod obſcurum nobis, clarúmque ſupremè,
Syllaba, quis putet hoc? vna eadémque refert.

Triplex lingua Canina.

Lambens, obtrectans, foliis ſuccóque remulcens,
Eſt triplex vulgò lingua vocata Canis.
Quadrupedis lenit, bipedis ferit, herba ſoporat
Vlcus, famam, oculos, heu! nimiùm vigiles.

Prodeſt prima aliis: verùm nocet altera: ſolo
　Munere cœleſti tertia lingua leuat.
Nil ſenſus ratióve valet ſine numine: ſenſus
　Stirps expers, numen ſi velit, vna iuuat.

Ex malis bona.

Vipereo quidnam magis eſt lethale veneno?
　Atqui vipereâ carne venena cadunt.
Nouit id Andromachus, cuius medicamina toto
　Orbe celebrantur nomine θηριακῆς.
Eſt etiam vitium menti ceu triſte venenum:
　Elicit è vitio ſed bona multa Deus.

Minima non contemnenda magnis. Ex Plinio lib. 9. cap. 1.

Militis Hiſpani nihil eſt violentius armis:
　Nil adeò timidum quàm ſolet eſſe lepus.
En tamen, Hiſpanâ lepores dominantur in vrbe,
　Cogitur & lepori cedere ciuis Iber.
Ne timidum fortis, ne magnus ſperne puſillum,
　Hunc, vbi numen agit, protinus ille fugit.

Non ſibi tantùm, ſed alijs prodeſſe. Ex eodem Plinio.

Si ſibi viciníſque ſuis ſe ſpargere dicat
　Semina dum rapi mandat arator humi:
Si minimè fallunt priſci prouerbia ruris,
　Prouentu ſurgent vberiore noua.
Si tibi viciníſque tuis prodeſſe peroptes:
　Ne dubites, fructus copia maior erit.

Ex eodem. Inamabile amabile.

Propter amaritiem fit triſtis in ore Lupinus,
　Fert tamen agricolis læta miniſteria.

Illi sunt etenim cœli commercia tanta,
Vt, quota labatur temporis hora, notet.
Terra polúsque procul sunt dissita: vincla Lupinus
Illorum nexu sed sociata docet.
Et monet, in rebus multis inamabile si sit,
Illæ quòd quiddam, cur adamentur, habent.

Fides magni facienda.

Morte canem tristi sublatum fleuit Vlysses;
Illius hic quoniam nouerat antè fidem.
Fallor ego: fidei non insunt semina brutis:
Sed fidei tantùm larua vel vmbra leuis.
Quanti sit facienda fides monstrauit at ille,
Vmbram dum fidei sic abiisse dolet.

Supra cœlum tendere. Ad Tychonem insignem Astronomum gente Danum.

Accipe me, cœlíque vias & sydera monstra,
Docte Tycho, tibi quæ noscere Musa dedit.
Cœlestes lustrare domos, motúsque, modósque,
Cura tibi mentis viribus vna fuit.
Pelusi schola tota tibi concedit, Arábsque
A te quò discat, Danica tecta petit.
Sed quia me regio nolo stellata moretur,
Ménsque supra cœlos visere numen auet.
Me Paulus rapiat: ductor qui fidus in altum,
Christus vbi regnat, raptus ad vsque polum.
Astra meis monstret pedibus subiecta, beatas
Fœlix vt fiam, monstret & ille vias.

πειθαρχία utilis. De Simia Pantomimo mirificos motus & gestus exprimente.

Pythagoræ si vera fuit sententia: credo
Simia quòd præsens facta sit ex Thymele.

Simia

Simia quæ posset conspecta mouere cachinnos,
 Crasse tibi rigidô, vel tibi, dure Cato.
Plurima nam miranda facit, ridenda, iocosa,
 Pantomimi vt verè nomen habere queat.
Sed procul à nobis abscedat vana voluptas,
 Quæ præter risum fertque refértque nihil.
Fructum quæro: quis hîc sit si fortasse requiris,
 Ore tacens dicet gestibus illa suis.
Namque suum sic est imitari docta magistrum,
 Protinus vt faciat, quod prior ille facit.
Illius & iussis sic est parére sueta,
 Vt citiùs dictis præstita facta volent.
Sic homini exprobrat sensus animósque rebelles:
 Esse obedire bonum non mediocre, docens.
Quisquis es, ô! quem cura tenet non pauca sciendi:
 Simia πειθαρχεῖν obsequiosa docet.
Discere ne pudeat quod nescis: Maximus olim
 A canibus Rhetor discere non renuit.

Improbitas sicut nix aut glacies in nihilum redit.

Quæ nix in Iuræ sublimi vertice candet,
 In liquidas tandem dissoluëtur aquas.
Horrens aëria sed quæ duratur in Alpe,
 Crystallus multo fit glaciata gelu.
Illa tamen ferro tandem flammísque subacta,
 Fusilis est minimo tempore materies.
Sic perit improbitas, ceu nix glaciésque liquescens,
 Aut induratis crescit adaucta malis.
Numinis at tandem magna vi sæpe domatur,
 Et fluit in nihilum, quæ fuit improbitas.

Damnosa voluptas etiam parua.

Dum lauat, & fluuio nimis oblectatur amœno,
 Qua delectatur mergitur Aulus aqua.

Fonte voluptatum minimo ſi labra rigaris,
Ni fugis, illarum, vah! obruêre mari.

Exemplo peccata creſcunt.

Oſcitat hic, mirum ſi non ſimul oſcitat ille,
Alter dum vultum conſpicit alterius.
Peccanti adſiſtens mirum niſi peccat: in iſtum
Ex illo vitij namque venena fluunt.

Babylon vbique.

Qui nullos Babylonis ais ſupereſſe penates,
Neſciríque locum, quo fuit illa priùs;
Reſpice mortales curas varióſque labores:
Omnis habet, dices tunc, Babylona locus.
Omnia confusè fiunt, vix pauca geruntur
Ordine. Quis, Babylon quin ſit vbique, neget?

Tilia arbor folijs recuruis ſurſum, ſolſtitij index.
Parua rerum magnarum ſigna.

Si Tiliæ ſimiles multas educere poſſet
Terra parens plantas, omnis tunc ſylua doceret
Sydereos motus: Chaldæas voluere chartas
Et radios non eſſet opus. Docet illa recuruis
In cœlum foliis Cancri ſub ſydere certum
Solſtitij veniſſe diem: ſic infima ſummis
Reſpondent: & ſtirps magni non maxima ſolis
Signa dat. Hoc cernens naturæ fœdere certo
Conſpicito robur ſapienter & vſque potentis
Numinis; & legem qua cunctis præſidet vnus
Mirificus rebus ſummis operator & imis.

Peccata pœnarum prænuntia.

Arua rigaturi veniunt à nubibus imbres,
Nigrantes vndæ quas grauidare ſolent.

Venturas

Venturas cœlo pœnas, iraſque minaſque
Demonſtrat terris exitiale ſcelus.

Οὐρανοσκόπος Piſcis. Cœlum petere mente.

Non oculis petitur cœlum, ſed mente: quid ergo
Aſſiduis ſpectas ſydera luminibus?
Eſt piſcis cœlum ſemper ſpectare ſuetus:
De cœlo nunquam cogitat ille tamen.
Mobile ſic cœlum ſpecta, quò poſſit ad orbem
Qui mouet immotus, mens penetrare, Deum.

Libido effrænis.

Ecce ratem, nullus quam Typhis dirigit, & quam
Perdendam in ſcopulos impetus vrget aquæ.
Sic ruit in præceps rectæ rationis egenus,
Quem malè perdendum cæca libido rapit.

Ad illud Matthæi 21. Reddite Cæſari quæ ſunt Cæſaris.

Cæſaris effigies, ſculpto quam cernis in ære,
Ipſis Cæſaribus danda tributa monet.
Numinis effigies homo, cùm ſis, reddito, debes
Te ſiquidem totum, numinis obſequio.

In Hypocritam inſignem. Ad illud Horatij. lib. epiſt. 1. Quòd ſi pallerent caſu, biberent exangue Cuminum.

Te quidam memorant veſci perſæpe Cumino.
Seius id laudat, vituperat Titius.
At mea ſi quæris quæ ſit ſententia, dicam:
Vis pallere, tibi ſit cibus ille frequens.
Pallentes reddit vultus exangue Cuminum:
Tetricus hac à te quæritur arte color.

N

+ Vide Innocentij 3. Papae Decretales c. per venerabilem.

Namque domi assiduè cùm Bacchanalia viuas,
Vis Curius dici,Fabriciúsque fori.
Desine:namque diu nunquam mendacia fallunt,
Apparere bonus,nec tamen esse cupis.
At tandem qui sis,qualis,quantúsque docebit,
(Dissimules,simules tu licèt) vna dies.

Gulæ mancipia.

Alitibus gratæ ficus comeduntur:at illis
Non est cura pares vt ferat vber ager.
Sic gula quos agitat fruges consumere natos,
Vt redeant fruges non vigilare solent.
Curnam?sunt vasto distenti gurgite ventres:
Ast edere,est & non edere ventris opus.

Licinus morbi dolorifici impatiens opio se perimit: Plinius lib.20.cap.8. Non rerum culpa, sed hominum.

Tædia quòd vitæ Licinum mouêre liquorem
Vt sumens opij viuere desineret:
Desperabundæ fuit hæc insania mentis:
Culpa fuit succi nulla papauerei.
Non secus ac vini non est,sed culpa bibentis,
Effera cùm mentes obruit ebrietas.

Tribuenda numini cuncta,nobis nulla. Patria & poema Homeri.

Desinite inter vos,Graij,contendere:septem
Vrbibus haud natus ciuis Homerus erat.
Sic etenim litem,cæcus licèt,ipse diremit:
Dum claris olim diceret ista sonis.
Terra mihi patria est quâ panditur omnis vbique,
Oceani refluis atque rigatur aquis.

Hoc

Hoc bene: sed longè meliùs, cùm diceret idem,
  Musarum, sed non esse poëma, suum.
Fœlix qui vates omnes se vicit & ipsum,
  Nil sibi dum tribuit, sed sua cuncta Deo.

Mirabiles Græciæ vices.

Græcia Barbariem superauit fortibus armis
  Huic Venus, ast illi Pallas amica fuit.
Postea Barbariæ deuicta est Græcia ferro.
  Hanc liquit Pallas, cepit at ipsa Venus.
Sic quæ fons sophiæ fuerat doctæque loquelæ,
  Et sophiâ nunc est eloquióque carens.
Barbaricóque iugo miserè nunc pressa diúque:
  Nil nisi Barbariem, vah, sapit, aut loquitur.
O prorsus miseri, qui nunc languetis, Achiui!
  Quàm vellem vestris pharmaca ferre malis!
Sed quoniam tellus non suggerit illa: petatur
  A cœli templis vtile subsidium.

Vita humana.

Qui iuuenis iacui, fuerat dum messis, in vmbrâ,
  Ante focum lateo nunc, maneóque senex.
Non dolet hæc ætas, quod sit grauis: illa sed ætas,
  Quæ bene, ceu decuit, non fuit acta, dolet.
O! cuius nutu procedit tempus, eunt res,
  Quas humilis tellus celsus & axis habet.
Venturas si præteritis vis addere luces,
  Dignator votis, quæso fauere meis.
Ablue præteritas sordes: præsentibus obsta:
  Venturísque: tuâ, me tege, pasce, manu.

Non opes, sed peritia Rectoris.

Optato dubiam qui sistat littore cymbam:
  Non opibus legitur nauta, sed arte bonus.

Tertull. de pallio.

Arte fidéque magis quàm Gaza dite legatur:
Qui patriæ Typhis possit & esse parens.

Priscus & recens victus.

Glans cum fonte fuit veterum potúsque cibúsque,
Vita quibus simplex & sine fraude fuit.
Successere dapes molles & mollia vina
Facta quibus vita est mollior haud melior.
Plurima mollitiem siquidem comitantur amara,
Quæ sunt lugendis proxima sæpe malis.
Vita sit vt dulcis, nimiùm fuge dulcia: namque
Hæc generant succos immoderata malos.

Cicer à quo Cicero.

Est sua laus eruo, lenti, pisisque, fabísque
Et propriam laudem quodque legumen habet.
Verùm præ reliquis cicer est memorabile plantis,
His quibus Ausonij flos placet eloquij.
Nam Ciceronis erit magni dum nobile nomen,
Nunquam non ciceris nobile nomen erit.
Maxima contingit minimis persæpe notari:
Conciliant minimis maxima sæpe decus.

Nihil deest timentibus Deum.

Est mentita seges, bos est enectus arando:
Grandine percussa est vinea parua graui.
Poma suâ pendent non multa in fronde relicta,
Alueus atque suas non alit vllus apes.
Optatis quòd si res non respondeat ampla:
Nil desit: Deus est omnia namque suis.

Rex exemplar populi.

Mille typo formas eductas conspicis vno?
Principis & populi symbola clara notant.

Rex typus est: ductæ formæ sunt subdita turba:
Exemplum regis sueta tenere sui.
Nam veram reddit ceu corporis vmbra figuram,
Sic regis mores plebs imitata refert.

Arcana principum & arcana Dei.

Arcanos sensus & motus quærere regum,
Res aleæ dubiæ proxima sæpe fuit.
Ast arcana Dei reuerenter quærere, res est,
Sollicitus cui non possit adesse timor.
Viuere vis tutus? cœli tibi quæritor aula:
Ast aulis hominum si sapis, esto procul.

Ficus arbor frugifera non florifera. Aduersum Iactatores vaniloquos.

O Iactatores, vanum pecus: vt mihi sæpe
Pollicitis mentem spe delusistis inani!
Dulciferas, decus hortorum, iam cernite ficus:
Cum quibus aërij mellis cœlestia dona
Si certent, Siculæ vel succus arundinis, & se
Victa fatebuntur cœlestia mella, liquórque
Concedet Siculæ victus dulcedine Cannæ.
Nil tamen ostentat stirps: nec flos turgidus vllam
Venturi longum spem fructus spondet in annum.
Sic clari meritis habiles & rebus agendis,
Cuncta procul fumo peragunt, & parcere verbis
Adsoliti, gaudent virtutem ostendere factis.

Cuilibet stirpi sua virtus adest. Nulla virtus non præclara.

Virtutum quæ sit pulcherrima dicere non est
Peruia res, cunctis nam suus adstat honos.

Nota L. S.

Sed velut in pratis decorant quæ florea dona
Graminis innumeri, læta superbit humus.
Haud facilè, hanc illi, naturæ viribus, herbam,
Aut florem flori quemlibet anteferas:
Sic omni virtus omnis splendescere laude
Assolet: at proprio quæque decore nitet.

Tempestate sæuiente nautæ oliuum in mare iaciunt ad fluctus pacandos. Ex Diadocho. Spiritus sanctus turbas animi discutit.

Dum grauis incumbit toto Notus æquore, vertens
Ad summum ex imis turbida stagna vadis:
Naturæ non ignarus nauarchus, oliuum
In tumidas properat fundere promptus aquas.
(Hoc facto placidum sidit mare: pectora curis
Libera dissiliunt, diffugiente metu)
Sic vbi curarum multo mens fluctuat æstu,
Et rapitur partes mobilis in varias:
Afflarit tantùm mentem si Spiritus vngens,
Et comes adfuerit gratia sancta Dei.
Turba simul fugiet, trepido cedente tumultu:
Fas & erit menti tum requiete frui.

Christo probari non hominibus solis.

Vnius ornari malim me voce Catonis,
Quàm si centenis centenus Glaucia linguis
Laude coronatum toto me prædicet orbe.
Mordeat ergo licèt vulgus me dente maligno,
Immeritóque salem nigrum mihi spargat, vbique
Irrorans famam lethalis pure veneni:
Non moueor: satis est Christo si comprobor vni.
Qui maledicta ferens, mundi securus iniqui,
Conticuit:

Vni quam multis.

Conticuit:Patríque placens,per cuncta remansit
Illæsus,tetræ contemnens toxica linguæ.
Da verò tua, Christe, mihi documenta sequenti,
Aduersos famæ scopulos superare:nec vllis
Me finito falli blandè plaudentibus auris.
Da sceleris pectus purum & candoris amicum:
Sanctus vt esse velim verè, spernámque videri.
In caput alta meum tunc si maledicta ferantur,
Nõ moueor: Christus satis est si me approbet vnus.

Faui mellei. Verbum Dei legendum non leuiter.

Admiranda tibi leuium spectacula rerum,
Vimineo, solers, corbe reponit apis.
Extrà Dædaleas ceras humore carentes,
Vndantes intrà melle fluente facit:
Talia sunt sacri verbi mysteria:cuius
Denotat externos arida cera sonos.
Sed latet interior sensus,ceu melleus imber:
Pectora viuifico sicca fluore rigans.

De lepidißimo Ioannis Passeratij poëmatio, quod inscribitur NIHIL *: ex illo Galeni,* λάβε μηδὲν, καὶ κράτει καλῶς.

Cuncta NIHIL quondam sapiens qui protulit, ille
Mente tuum vidit, clare poëta, NIHIL.
Nam NIHILO nihil est quod non claudatur in isto:
Et NIHIL hoc extra dicitur esse nihil.
Rideat ergo licèt Momus quantumlibet acer:
Hoc gratum capere est & retinere NIHIL.

Dies natalis. Dies obitus. D. Abrahamo Bulcocero.

Vis dicam mea quæ sit lux natalis:at illam,
Tunc demum, quando cesserit, accipies.

Μηδὲν.) Son de latts.

Ἐυλαβον ἐστιν οὐδὲν.) Pas d'but

Nil nimium nimiumque nihil

Nam si quo terras flens, heu! sum missus in istas,
Hunc primum lucis dixeris esse diem,
Falleris: auspicium mortis fuit ille: nihílque
Hîc præter vitæ nomen inane fuit.
Terris erepto, cœli sed luce fruisci
Cùm dabitur, verè viuere dicar ego.
Tum natalis erit: poterunt & forsan amici
Principium vitæ significare meæ.

Suprà 182

Libertas Christiana.

Ille ærugineus stomacho qui fluctuat humor,
Hei mihi! quàm multo viscera felle quatit!
Hunc si dispulerit natura benignior, Æthnâ
Pondere me vacuum tunc grauiore putem.
Fellis amarorem peccati vincit amaror:
Et tristi nimiùm pectora mole grauat.
Aufer onus, Deus alme, malum: volitabit ad astra,
Io, mens dono libera facta tuo.
Aurea me demum libertas namque reuiset,
Si tu peccati ferrea vincla leues.

Nautis vna est Cynosura. Pys vnus Christus via.

Per mare veliuolum stellati nescius orbis
Audax non tutò nauita carpit iter.
Nec bene terrenas Syrtes Scyllámq; Charybdímque
Ille petit, cui non est Cynosura Deus.
Cui non sit Christus vertex & stellifer axis,
Ianua, cardo, sol, semita, vita, salus.

Nobilitas aliena.

Stemmata quid faciunt? quid lōgum nomē auorum,
Moribus insideat si nota fœda tuis?

Quid

Quid genus obscurum? splendes si moribus aureis,
Nil oberit generis nox tenebrosa tui.
Quisquis enim patriâ tollit se laude, repente
Laudibus orbatum se probat esse suis.

Degeneris & angusti animi est amare diuitias.
Ex Chrysostomo.

Dum te nulla domus contingit cura paternę,
(Plurima sunt in quâ sollicitanda tibi)
Seruorum contrà vigilante negotia dextrâ,
Dum semper tractas vix memoranda semel:
Non bene solertis laudatum nomen habebis:
Cùm te hæc degenerem sollicitudo probet.
Æternas qui temnit opes, curátque caducas,
Pectoris angusti vilia signa gerit.

Sacra à Dei institutione, non ab hominum dignitate accipiunt vim suam. Ex Basilio.

Non formosa magis pretioso sculpitur auro
Quàm Chalybe ex vili ducitur effigies.
Ars etenim, non materies, facit oribus ora,
Vt paribus constent assimilata typis.
Hoc rebus sit fas sacris aptare: verendas,
Quas Deus, haud hominum dextra ministra, facit.

Quæ videntur lucida hominum opera, ad Deum collata sunt tenebrosa.

In tenebris micat ecce procul fax ignea: verùm
Sole sub illustri ceu tenebrosa latet.
Inter se confers hominum si facta, videtur
His hominum factis lumen adesse suum.
Sin eadem conferre velis cum numine, quid sunt
Lucida facta hominum, quàm piceæ tenebræ?

Mare ventis agitatum. Aſſentatores aulici, principum mores immutant.

Mitius Oceano nihil eſt: cur ergo poëtis
Dicitur eſſe ferox & ruptis fluctibus aſper?
Nempe, quòd irato qui ſpumat ab æquore feruor,
Indolis haud propriæ eſt. Nam mollia brachia terræ
Extendens Nereus, fert oſcula blanda ſorori:
Sed qui ventoſa veniunt à nube ruentes
In pelagus vaſtum Notus, Eurus cum Lybe, turbant
Otia Naiadibus vitreo data in æquore lætis.
  Aſſentatorum ſic cùm ruit atra procella;
Heu, regis propriâ pectus quàm ſede mouetur
Sæpe labans! duris quàm funditur ictibus! etſi
Ingenio nil ſit regis manſuetius ipſo.

Contagio malorum.

Qui manans oculis adhæret humor,
Stillans à cerebro nimis madente,
Intentos oculos ferit videntis:
Atque ex lumine lippiente triſtis
Miſſa in lumina lippitudo tranſit:
Sic quicunque frequens adeſt malignis;
Is contagia contrahit malignæ
Labis: ſimplicium decúſque morum
Amittit: ſubeunt venena ſenſim,
Quæ virtutis amant necare lucem.

Fortiter aduerſa patiens, amara in dulcia conuertit.

In dulces ſuccos vix conuertuntur amari,
  (Naturæ ſpectes ſi generantis opus)
At facit id virtus: fit dulce, quod extat amarum,
  Si patiens æquâ triſtia mente feras.

Fax

Fax lucens & extincta. Animæ vita & mors.

Flammea ſi fuerit fax lucens, viuere fertur:
Non lucens data ſed dicitur eſſe neci.
Spes, amor atque fides vbi ſunt, mens viuit: iiſdem
Orba tribus, vitâ dicitur eſſe carens.

Rhodanus obice interiecto retardatus: quod contigit anno 1570 *menſe Decembri.*

Homo lege Dei reuinctus. Ex Anſelmo in 7. cap. epiſt. ad Rom.

Vidi ego, cùm ſolitâ laxatus compede liber,
Linqueret vndoſi ſpumantia tecta Lemani
Fulmineus Rhodanus ſolitas raptaret & vndas.
Vidi pòſt, lapſis celſo de vertice montis
Aggeribus Rhodani magnis iter intercluſum,
Hîc vbi IVRA caput tollit ſpectabile, fauces
Oppoſitò cum fratre premens inſigniter arctas.
Aſt indignatus ſe clauſum feruidus amnis,
Conuocat vnanimes alto de flumine vires:
Tum verò furibundus abit præruptus aquæ mons,
Impete præcipiti non nota obſtacula rumpens,
Fulmineóſque vibrans geminato robore fluctus,
Edita riparum ſuperátque repagula: donec
Allobrogum campis ſegetes euellat, & ipſis
Cum ſtabulis armenta ferat, tumulanda profundis
Gurgitibus. Vah humanæ veſania mentis
Captiui in morem Rhodani contraria fertur
In legem, Deus alme, tuam, redimire paratam
Peſtiferos animi motus: quos obiice ſancto
Siſtere proponis: ſed neſcia cedere cœlo
Mens, magis atque magis furit: & te iudice cogi
Téque Solone regi fugit: irritata ruítque

In præceps:& tum prærupta per auia currens
Effrænis, vitæ commutat munera morti.

Nihil non mutabile in mundo. Rhodanus lapsu grandioris saxi interclusus ad portas Allobrogicas, quas vocant Clusas.

Immotum fuerat naturâ, mobile nunc est,
Quod montis saxum culmine grande cadit.
Fulmineis rapidus fuit antè volutus ab vndis,
Immotâ qui nunc sistitur amnis aquâ.
Orbe quid in toto non est mutabile? nam stant
Fluxa priùs: sed quæ firma fuêre, fluunt.

Tubicines bellici amicè conuenientes. Theologorum pugnæ implacabiles.

Arma armis vidi, & telis concurrere tela,
Aduersas acies tubicen, dum Martis in æquor,
Ære cauo hic vnâ, ille aliâ de parte ciêret.
Arbiter at postquam Mauors fera bella diremit,
Impediunt dextras dextris, atque oscula iungunt
Mutua, lethifici carpentes dona Lyæi,
Hic tubicen, diras acies qui vrgebat, & ille.
Ast ô, qui fertis pacalia munera Christi,
Auditísque palàm qui numinis ora tubæque:
Vestra quis admirans non admirabitur ora?
Ora verecundo prorsus vacuata pudore,
Plena sed è triuio verbis, (quæ ganeo vilis
Vix eructaret latitans in olente popina)
Præberi plebi ludos & pulpita diris

Omnia veſtra ſonis & amaro felle repleri?
Scripta per & chartas, mendacia turpia ſpargi?
Nugaces fumos paſſim ſannáſque reponi,
Quales obſcœnis comœdia priſca theatris,
Aut nunquam Satyræ damnata licentia fudit?
Heu, malè compoſitos motus & prælia tandem
Ponite: manſueti ſpirent vt viſcera Chriſti
Pectoribus veſtris. Quòd ſi ſententia menti
Non ſedet vna, parum vos diſſentire nocebit,
Vnus ſi doctor nodo vos vinciat vno,
Nodo fraterni quem ſtringat funis amoris,
Cui comites adſint in Chriſtum ſpéſque fidéſque.

Mors C. Plinij. Nimia curioſitas noxia.

Igniuomi flammas dum vis pernoſſe Veſeui,
Et plus quàm par ſit ſcire, Secunde, paras:
Non indigna tuâ curâ fers præmia: namque
Vt pòſt nil cures flamma ciniſque facit.
Quíque animam flatum dixiſti, flare vetaris:
Montis ab inſolito flamine, flans animam.
Sícque doces moriens, iucundum ac vtile quanquam
Quærere ſit; ſuprà quàm decet, eſſe malum.

Tempus. εἰκών.

Καιρὸς

Quid ſim ſcit nemo, per me cùm cuncta ſciantur:
Non ſiſti, ſed ſum ſiſtere cuncta potens.
Nocte, die, tacito nil non præteruolo curſu:
Et per cuncta means non rediturus eo.
Antè quod eſt reſeco, veſtigia nulla relinquens,
Et per me fiunt omnia ſorte pari.
Quicquid in aprico eſt in apertum profero: rurſus
Vt lateant facio, quæ patuere priùs.

In toto nihil est vno me charius orbe:
Ducitur at toto vilius orbe nihil.
Optant venturum cuncti: præsente fruuntur
Pauci: sed multi præteriisse dolent.
Me sine non vllus viuit: mihi vita negatur:
Et finem capient omnia fine meo.
Metior assiduos cœli terræque labores:
Metiríque Dei me manus vna potest.
At, qui labentis sentis fluxúmque modúmque;
In cassum peream ne tibi fortè, caue.

Christus mortis victor.

Gnossiacâ quisquis certat luctator arenâ,
Mirando cunctis robore conspicuus:
Arbitrio linquit spectantum dicere cum quo
Decertet; sumit nec sibi sponte parem.
Ni faciat, strictis glaciali sanguine venis,
Dicetur medio corde sedere timor.
Sic hostes (cum qua colluctaretur) acerbi
Aduersam Christo constituêre necem.
Scilicet, hac victâ pudefactus dicat vt hostis,
Roboris est ingens gloria, CHRISTE, tui.

Cham filius Noë. Quatenus Patrum pudori parcendum.

Est Chami labes non eluctabilis illa,
Quâ patris irrisit membra retecta sui.
Non tamen idcirco nunquam retegenda, vetustus
Quæ peccata Patrum protulit error, erunt.
Namque verenda tegit Patrum, non detegit ille,
Erranti meliùs qui studet ire Patre.
Quíque verecundo lapsus sic connotat vngue:
Obseruet cœli totus vt ille Patrem.

Veritas

Præter tempus nullus auarus L.S.

Veritas opprimi nequit. Catadupa Nili.

Non possis Pharij catadupa sonantia Nili
(Quando tecta nigrantia
Æthiopum rapidus liquit) cohibere per imas
Dum valles fugit impiger.
Phœbææ radios non possis lampadis vllis
Atris tingere noctibus,
Quæ lucem eripiant astris: tamen, improbe, speras
Quos vult esse Deus suos,
Illis vt taceant neruos incîdere linguæ,
Ne verum faciant palàm.
Errorémque malum viuo mucrone recîdant.
At sic deciperis miser,
Non deerunt voces, sed erunt veracia semper
Sanctis Verba, quibus probent
In medio lucere die iubar vndique clarum
Et noctem tenebris satam.

Rusticus incurua ligna corrigens. Vtilis castigator iuuenum.

Corrigit, haud vrit, dum flammis indit arator,
Quæ natura priùs ligna recurua tulit.
Dum monitor verbis iuuenilia carpit acerbis,
Curat cor fausto vulnere, dum cruciat.

Ianus & Argus εἰκόνες Prudentium.

Antè videns & pòst, bifrons qui dicitur esse
Ianus, prudentis fertur imago viri.
Hoc bene: sed meliùs prudentem ostenderit Argus:
Quem centum dicunt cernere luminibus.

Namque satis gemina fuerit non cernere parte:
Omni prudentem parte videre decet.

Mendacia tandem patescunt.

Nocte latent, sed luce patent tenebrosa, diésque
Monstrat quæ cœli sit faciésque soli.
Sic tenebras hominum spargunt mendacia: sed si
Lux veri surgat, protinus illa cadent.

Iugum Christi mansuetum. Matth. 11.

Ergo suis imponit onus, vúltque esse paratos
Christus ferre iugum tacitâ ceruice clientes.
Quòd si nostra iugo sint colla grauanda, beatis
Quî licet esse piis? Qui seruit nemo beatus.
Hæc mecum vanus reputans, attollo tuendo
Circumagens oculos. Cerno tum fortè volantes
Aërias volucres, alarum scindere remis
Nubiferos longè campos latéque patentes.
Tum verò mecum tacitus: Si pondera pennæ
Nulla ferunt volucri, quæ tantùm pondus inérsque
Nil nisi materies, si non attollitur alis,
Momento lapsura; graues quis dixerit alas
Esse auibus? Tua sic, sic, dum iuga, Christe, recordor
Mitia, comperio non esse grauantia parte
Vel minimâ mentes, omni at releuantia parte.
Nam quicunque tibi paret spontaneus, ille
Liber abit: seruíque fugit lacrymabile nomen:
Principiíque sui mens quæ non nescia, gestit
Subdere colla tibi, cœli quo subuolet astris
Purior, immundi vitans contagia mundi.
Felix! ô nimiùm felix! si corpore toto
Me tua vincla ligent, omnes & firmiter artus
Constringant, ac colla iugis induta repentè,

Christe,

Christe, tuis, vnum tantum spectantia Christum
Accipiant, vt te consectans totus anhelem.

Nicetias Syracusius apud Ciceronem affirmans Cælum quiescere, Terram moueri. Impudentia sophistarum.

Sydereos orbes sunt qui vertigine nullâ
Torqueri dicant, & requiete frui.
Sunt &, qui terram celeri vertigine narrent
Circumagi, nullâ quique quiete frui.
Et rabido mirum spumantes ore sophistas,
Pro veris solitos dicere falsa putas?
Qui solem piceum, niueásque probare tenebras
Non dubitant, quæso, dicere quid dubitent?

Hydropis curatio.

Ex vndâ natura merum generare suescit
E vino generas helluo potor aquas.
Inde latens hydrops occulta sub cute repit,
Pellere quem dicam qua ratione queas.
E pluuio sudum, éque luto tibi fiat arena,
Et potum labris disce negare tuis.
Corpore tunc tumido languor discedet aquosus:
Et quæ dura fuit, fiet amica sitis.

Perditus adolescens.

Mobilis ingenio, nulli parere suetus,
Et nullo docilis tempore fræna pati.
Vtilium nunquam prouisor, spretor honesti,
Non mihi prodigus, at prodigiosus eris.

Fide auarorum non peruenitur in Cælum. Ad illud Horatij, Quantum quisque suâ nummorum seruat in arca, &c.

Quantùm quisque suâ nummorum seruat in arca,
Flaccus vti narrat, tantùm habet & fidei,

Hoc bene: nam si sunt Gazæ, tunc credet auarus,
Quas merces multo fœnore fortè petes.
In cœlum sed si fidei vis tendere pennis,
Illam nummorum vix habet arca fidem.

Noxia vitiorum præmia ex Q. Curtio.

Ebrietatis habes pretium, Protarche, talentum
Quod dat Alexandri non bene sana manus.
Ast ebrio tibi lux quæ surget crastina, nulla
Efficiet lux vt sit reditura tibi.
Par, Protarche, tibi, quisquis moderamine nullo
Insanis laxat fræna cupidinibus.

De Ligorio Antiquario.

Saxa per & lapsas quæris monumenta ruinas,
Orbe vagus toto Romulidûm veterum.
Sic morti tete, morti sic eripis illos,
Cum vulgo, nobis commemorare soles.
Quàm verè, videas. A saxis quærere vitam
Qui studet, an non hunc saxea vita manet?

Hirundo nidificans in sinu Medeæ lapideæ. Suis infesti, alienis mites.

Quæ Medæa ferox natorum sanguine fertur
Immanes fœdè commaculasse manus:
Aëre de Lybico venientis Hirundinis hospes,
In curuo refouens continet oua sinu.
Sic plerique suis sæuique trucésque videntur,
Mansuetos sentit quos peregrina manus.

Christus omnium piorum medicus & medicina.

Cardiace cordi: cerebro Betonica confert.
Hepatice iecori: splenia splena iuuant:

Aiuga conducit neruis: Νίλ lumina ſanat:
Denique quæque ſuum pars medicamen habet:
At Chriſtus morbos omnes & vulnera ſanans
Eſt medicus præſens & medicina piis.

Pij probantur vt aurum: mali abſumuntur vt palea. Ex Danielis 3.

Illæſi flammis abeunt, Pæana canentes,
Quos pietas flammis reddidit indomitos.
At mediis pereunt flammis vltricibus iſti,
Stupea membra quibus fecerat impietas.
Purgatur flammis & non conſumitur aurum:
Abſumit paleas paruula flamma leues.

Ad illud Platonis ex epiſtola ad Architam Ἄνθρω-πος εὐμετάβλητόν τι.

Mobilis vnda fluens: eſt æquor mobile: motu
Aëris aura leuis voluitur aſſiduo.
Nam modò Riphæa Boreas bacchatur ab arcto:
Aduerſo nunc flat miſſus ab axe Notus.
Non vna eſt noctis facies, non vna diei:
Mobilis eſt quouis quælibet hora die.
Omnibus his at mobilibus magè mobile quiddam
Cognoſces, hominem ſi bene noſſe potes.

De horrendo fulmine, terræ motu, & aquarum eluuionibus anni 1601. *&* 1602.

Aëra commouit tremebundo murmure, miſcens
Fulmina cum flammis, nube crepante, Deus.
Infima concuſſit titubantis viſcera terræ:
Atque penè exundans obruit humor humum.
Tanta viatori tempeſtas ſuadet, vt intra
Tecta manens, vitet dura pericla viæ.

Nos, vitæ melioris amor quos tangit, asylum
Quæramus tantis & loca tuta minis:
Instabilis quod cum renuat natura, petendum est
A stabili cœli perpetuóque lare.
Aër, vnda, solum, fluxu, motúque tremendo
Instabiles latè terrificant animos:
At cœli sedes constans & firma serenat,
Motibus in tantis mentem animúmque mihi.

Vitiis nascentibus occurrendum.

Virga fuit primùm, potuit tunc vngue reuelli,
Quæ rigidos arbor temnit adaucta Notos.
Nascentis facile est vitij conuellere fibras:
Quas grandes vanus vellere velle labor.

Auium charitas erga Cinglum auiculam præ virium debilitate nidum sibi parare non valentem. Ex Suida.

Inter aues Cinglus tam nullis dicitur esse
Viribus, vt non sit nidificare potens:
Ast aliæ, quibus haud sunt corda ferocia, nidum
Ponere languenti commemorantur aues.
Cingle veni: volucrum memorás benefacta, pudore
Afficiens hominum ferrea corda trucum.

Αὐθάδης.

Aule places nulli, te Plebs, Equitésque, Patrésque
Non tectis odiis exagitare solent.
Mirantur multi, sed non ego: nam tibi nemo
Dum placet, ipse tibi tu nimis, Aule, places.

De libello Francisci Citesii Pictauiensis medici describentis virginem Ioannam Balamam absque potu & cibo plus quam triennium agentem.

Absque cibo viuis potúque Balama, palámque
Haud hominem solo viuere pane probas.

Hin

Hinc volitas hominum famâ victura per ora,
Vix oris cum ſint munera nota tui.
Numinis illud habes vix vlli munere noto:
Hoc Citeſi donat muſa perita tibi:
Abſque cibo qui te viuam dum tradit, egentem
Conſequitur vitam nullius ipſe cibi.

De Apollonia Sceera virgine iam multos annos abſtinẽte & etiamnũ hodie ſuperſtite in agro Illuſtrißimæ reipublicæ Bernenſis. Cuius hiſtoria extat deſcripta à Doctißimo Paulo Lentulo medico eiuſdem Reipublicæ.

Conditur in tua nil iam dudum viſcera: nam ſunt
Vt credo, dudum viſcera nulla tibi.
Quæ verò vitam tibi vis ſiſtitque fouétque,
Robore cùm nullo ſuſtineare cibi?
Naturæ quærat venatrix clara corona:
Et, ſi compererit, docta docere velit.
Teſtibus at vobis Balama, Sceera probatur:
Iſtud non hominis noſſe, ſed eſſe Dei.

De *Valerio Pico agri Vxellodunenſis ruſtico: qui ſolis arboreis frugibus vſus vitam longæuam egit.*

Non tibi nota Ceres, non Pan, non Bacchus: at vna
Te Pomona ſuis nutriit arboribus.
Picce, doces quàm ſit vis conſuetudinis ingens:
Naturæ vires cui ſuperare datur.

Abſtinentia valentior quàm medicina. Iulius Viator apud Plinium lib.7.

Imperat ipſe ſibi multúmque diúque VIATOR,
Vt clauſas tumidâ ſub cute pellat aquas.

Eduræque ſiti dum pugnat, eámque reuincit;
Eſt factus lymphæ neſcius atque meri.
Quod nequiere manus medicæ conferre vel artes,
Ecce, VIATOR, dum non bibit, obtinuit.

Cauſa rerum extraordinariæ non notæ hominibus, ſed ſoli Deo, ex Oribaſio medico. Andron ſalſis licèt frequenter vtens nunquam ſitiebat, nec bibebat.

Qui flammas oleo perimi, qui flumine paſci
Non negat, ille neget ſalſa ciêre ſitim.
Thracius illa duo monſtrat lapis: arguit iſtud
Andron (ſit paucis cognitus ille licèt.)
Nam ſi vera ferunt, huic ſal multúſque frequénſque
Ore fuit: vix at nomine nota ſitis.
Quî fit id exquiris? Cunctarum expromere rerum
Solius eſt cauſas numinis, haud hominis.

+ vide supra +

Ad illud Matth. 8. Sine nos in porcos ingredi. Ingreditur Satan in eos qui porcorum vitam viuunt.

Occupat immundus porcorum corpora Dæmon
Inſanis illos perdat vt ater aquis.
Tecta parant Satanæ nimis opportuna, lutoſæ
Mortales ſoliti viuere more ſuis.

Non loquitur qui abſque ratione verba fundit.

Ore ſonat Morychus, blaterat, nugatur, ineptit,
Verba iacit, gannit, garrit: at haud loquitur.
Ῥεῦμα λόγου fuſus prudenter ſermo vocatur:
Nam vacuata λόγῳ mens, fugat ore λόγον.

Plin. lib. 7. cap. 26. Non ſe, ſed patrias ſuas coronabant victores in certaminibus.

Victor ad Elæi campi certamina, claras
Sumebat lauros, non ſibi, ſed patriæ.

Numine

+ Hippocrates, Nous scavons les choses, et non les causes.)

Numine qui faciente facis laudabile quiddam,
 Ne tibi quid tribuas: da decus omne Deo.

Tenebras in lucem vertere, ad illud Vergilij 1. Georg. Multa adeò gelida meliùs se nocte dedere.

Agricolis sua sunt operandi tempora: nam sunt
 Quæ tenebris; & sunt, quæ facienda die.
Et tua, cui pietas cordi, sint didita certis,
 Vt dextrè fiant, munera temporibus.
Excitet externos sensus sol rebus agendis:
 Debita sed cœlo pectora, nocte dato.
Te facilè totum tunc explorabis ad vnguem:
 Tunc verè iudex, testis erísque tui.
Numinis alloquio te tunc solabere; túncque
 Transmittes illi vota precésque tuas.
In lucem tenebræ tunc conuertuntur opacæ:
 Nam clarùm lucens Sol tibi Christus erit.

Amicus ἐπίκαιρος. Ex Iob. 6. 15.

Dum torret flauas insana canicula messes,
 Sicco, transmittes hæc vada lata, pede.
At plenis si rura natent humentia fossis:
 Tum refluis altus margo redundat aquis.
Quisquis amicitiæ non rem, sed futile tantùm
 Nomen habes, istis assimilaris aquis.
Poscit opem nullus? manus est tibi larga: requirit
 A te pauper opem? Tunc opis omnis eges.

Ad illud Psalmi 147. Qui dat cibum pullis coruorum.

Implumis nido coruorum pullus in alto,
 Haud propriæ matri cognitus, háudque patri,

Esuriens & hians, crocitanti quem petit ore,
Non potis est vllâ tangere parte cibum.
Sic manet impastus multas noctésque diésque;
Numinis & solo munere viuus agit.
O! quem paupertas cunctorum reddit egentem,
Admonitu corui, disce vocare Deum.

Apes in saligno alueo mellificantes.
In amaro dulce.

Tecta domósque cauas apibus, quò dulcia ponant
Munera mellificis, præbet amara salix.
Sic plerumque vides in amaro dulce locatum:
Vix & ab hoc illud dissociare datur.

Laboriosi ex laboriosis. Apes ex boue.

Florilegas miraris apes per olentia rura,
Exercere labor quas solet assiduus?
De boue nascuntur: naturæ semina seruant:
Otia nescit bos: otia nescit apis.

In illud Sexti Aurelij Victoris de Augusto Cæsare.
Cùm esset luxuriæ seruiens, erat tamen eiusdem vitij seuerissimus vltor, &c.

Qui magis Augusto flagrarit Cypridis igne,
Romano Cæsar nullus in orbe fuit.
Qui magis Augusto Cyprios represserit ignes,
Romano nullus claruit imperio.
Iulia lex testis, tenerorum & lusor amorum:
Quem procul in Geticum compulit ire solum.
Sic quibus indulgent magnates crimina, pœna
Vlcisci in reliquis asperiore solent.

(Vide Senecam)

Inue-

Iuuenis vita & morte abominanda, Nauteæ flori comparatus.

Viuentem nuper cernebat patria Furuum:
Quem nunc sublatum plurima turba dolet.
Comparat hunc flori: cecidit quia flore iuuentæ:
Et flori Furuum comparo gnarus ego.
Cuinam scire cupis? verax id dicere pergam:
Flori, quem fœtens nautea ferre solet.
Mortuus & viuus putet flos ille: pudendâ
Putuit in vitâ Furuus & interitu.

Loquendum vt multi. Aristot. & Virgil. comparatio.

Naso capra caret: non hanc fas dicere simam,
Audierit doctum si quis Aristotelem.
Cur igitur simas solet appellare capellas
Vergilius? Sophiæ pugnat an ille patri?
Absit id: at linquens doctis sua verba, loquendum
Multorum, magnus, more, poëta docet.

Voluptas necessaria & non necessaria.

Fallaci cupidus capitur ceu piscis ab hamo,
Hamatis capitur sic homo delitiis.
At nihil est pisci vitio quod vertere possis:
Nam capit ille cibum, quo sine vita cadit.
Colla voluptati sed qui dant mollia, culpæ
Hærent affines, implicitique graui.
Illos nam nihil est hæc mella vorare necesse:
Quæ quicunque petit, fellea fata parit.

Nusquam tuta quies nisi in Ecclesia Dei. Gen. 13.

Chaldæam, mandante Deo, Cananitide mutat
Abrahamus, fidei clarus vbique typus.

Sed Chananæa fames hunc linquere compulit arua,
Vt Pharios peteret prouidus ille lares.
At tandem Nili dimisso diuite limo,
Bethelem veniens, hîc sua tecta locat.
Quàm bene! nam terris nusquam sunt otia tuta:
Excipe Bethelem, quæ domus alma Dei est.
Alma Dei domus est Ecclesia: quisquis in illa
Permanet, hunc, alibi non, manet vlla quies.

Philomela. Plinius lib.10.cap.20.

Non multos Philomela dies modulatur: aperto
Dum trudunt frondes germina densa sinu.
At suaues quàm sint emissi gutture paruo,
Quàm sciti, varij, multiplicésque soni:
Dicet qui vocis discrimina mille, lyræque
Mille, chelis, cytharæ mille notare potest:
Qui studet æternas versu sibi quærere lauros,
Exemplo paruæ pangere discat auis.
Ne curet multos versus extundere: multa
Sed paucos limâ perpolijsse velit.

Lasciuies comatorum.

Est nunquam visus terris impunè Cometes,
Pharsalicæ cecinit scriptor vt historiæ.
Hinc Cyrrhatorum cùm sint nunc omnia plena,
Per quorum fluitant mollia colla comæ:
Fas stolidis sperare bonum: prudentibus, eheu!
Pectora pœnarum sunt tremebunda metu.
Quas omnes demum numerauerit ille, comarum
Innumeros poterit qui numerare pilos.

Satanæ caput per fidem in Christum obruendum.

Heu, cape saxa manu, colubri caput obrue, dirum
Ne tumido virus, quod gerit, ore vomat.

Sibila

Sibila nonne vides vt acutâ tristia lingua
Spargat,& incautas iam propè tangat oues?
Hoc tu more, caput Satanæ flexúsque retortos,
Christo saxa tibi suppeditante, preme.
Saxa manu minimè fallente vibranda, venenis
Ille tibi, pastor, ne noceátve gregi.

Sterili licèt agro pij famem non sentiunt.

Mæonidæ magno Ζείδωρος ἄρουρα vocatur:
Namque solet ζειὰς munera larga dare.
Ast hoc dura fames latè dominatur in agro:
Hinc λιμόδωρος dicitur, éstque simul.
Non tamen vlla famis tangunt me vulnera: namque
Vis θεόδωρος alit, non malè pinguis ager.

Ex Matth. 6. Respicite lilia campi. A prouidentia Dei pendendum.

Quis verò tesquis arentibus ista locauit
Lilia? squalenti quis fouet illa solo?
Non est solertis versata bidente coloni
Terra: nec est pingui pòst satiata fimo.
Non illis ortum radix seménve dedere;
Vt solet huic, quod habet fertilis hortus, olus.
Sponte suâ sed se tollunt in luminis oras,
Vno mirificè sic operante Deo.
Illa creat, curat, nutrit Deus, auget & ornat,
Murice Sarrano ceu saturata forent.
O fidei nutantis homo! tibi lilia monstrant,
Defore nil his, quos numinis aura fouet.

Ex eodem.

Et vos aëriæ volucres, quî fidere cœlo
Conueniat, nostrum, quæso, docete genus.
Non vllum curui studium vos tangit aratri,
Non vos æstatis, non hyemísque labor.

Attamen indignum re nulla ducitis æuum:
Vos etenim pascit numinis alta manus.
Indociles, eheu! mortales credere cœlo,
Quos nimium dubios anxia cura coquit.
Discite adurentes deponere pectore morsus:
Alitis & paruæ, fidite, more Deo.

Gryllus. Intempestiuitas incommoda.

Strides nocte: siles tota sed luce: tuúsque
Nil labor aut requies, Grylle moleste, iuuat.
Sic intempestè quod fit vel dicitur, vllam
Vix vlli præstat commoditatis opem.

Lysimachia herba. Votum pro pace Galliæ.

Prælia quod rixásque truces pugnásque resoluam,
Omine felici Lysimachia vocor.
Si sapis, ô terris quæ non contemptior vllis,
Gallia, nunc passim gramina nostra seres.
Sic tua pugnaces non turbent otia turmæ,
Vrbibus & campis pax vigeátque tuis.

Ad illud Deuter 23. Sicut pluuia eloquium meum, &c.

Orbis aquâ quid habet quod charius extet? eâdem
In toto quod sit vilius orbe, quid est?
Hinc meritò, ni fallor ego, cœlestia dicta
Aëre delapsis æquiparantur aquis.
Charius his nihil est, res si spectetur & autor:
Cerne hominum mores, nil magè vile putes.

Ad illud psal. 65. Bonis tuis annum coronas.

Vere tument gemmæ, decoratur floribus arbos,
Et gratus pingit Dædala rura viror.

Herbida

He bida prata dehinc tondentur falce recuruâ,
Exſiccat blandus fœnea dona calor.
Pòſt metit auratis ſegetes non ſegnis ariſtis
Meſſor; & è ſtipulis cerea grana quatit:
Mollis ab apricis petitur vindemia ſaxis:
Et ſua dant tandem munera mellis apes.
Pinguibus eſt oleis proprium tempúſque locúſque,
Vt mites ſuccos mille trapeta premant.
Putribus eſt ſatio ſulcis: tunc alma benignâ
Poma manu, glandes caſtaneáſque legis.
Sic abit agricolis labor annuus actus in orbem,
Gaudentes recreat quos genialis hyems.
Sic annum veluti frugum diademate cingis,
Muneribúſque beas, ô Deus, innumeris.

θεῖόν τι ἡ τιμὴ, & contrà, Gloria eſt vmbra.

Gloria diuinum quid fertur, fertur & illa
Vmbra fugax, quâ nil vilius eſſe poteſt.
Gloria nimirum pretio non penditur vllo:
Hinc vni verè competit illa Deo.
Captantem refugit, fugientem captat; vt vmbra,
Gloria pòſt ſequitur: præ velut vmbra fugit.

Columbæ ſtoliditas. Ex Plinio lib. 10. cap. 36. αὐθάδης.

Stulta columba ſuis nimiùm ſibi dum placet alis,
Et liquidum ſulcans aëra peruolitat:
Gloriolâ ſtultè ludens dum gaudet inani;
Vnguibus, accipiter, præda fit apta, tuis.
Dotibus exultans ſic non bene ſana iuuentus,
Dum nimis ingenio fidit inepta ſuo:
Orba bono, fumóque ſuo repleta, ruinæ
Se præceps offert propudioſa, graui:

De libro quem M.A.V. Italus scripsit de Barba.

Græcia barbatum laudauit prisca magistrum,
 Sorbitio morti quem scelerata dedit.
Itala te Barbæ scriptorem prædicat ora:
 Sed tu, si sapis, hac laude tumere caue.
Nam cùm barba pilus tantùm sit, laus ea tanti est,
 Iudice me, quantùm laus facienda pili.

Christianus spe & metu tanquam duabus molis est subigendus.

Vix aptè nostros vnquam vertentur in vsus,
 Ni tundas geminis farrea dona molis.
Vix dignum cœlo quicquam commiseris, inter
 Spémque metúmque velut ni minuare molas.

Clypeus tutißimus verbum Dei, quod manet æternùm.

Dæmonis vt valeas ignita repellere tela,
 Lamina non æris te chalybísve tegat.
Sed cape linigenæ subtilia tegmina chartæ:
 Illis comperies fortius esse nihil.
Miraris? robur, quod cætera robora vincit,
 Debilis illa licèt, crede, papyrus habet.
Quod manet æternùm, cœlo pereunte solóque,
 Excelsi verbum numinis illa tenet.
Quo qui septus erit, inunitus spéque fidéque,
 Obtectus certo tegmine, tutus erit.

Ex Nazianzeno. Dei vmbram videmus eo modô, quo pisces in aqua, non solem, sed vmbram illius vident.

Non solem, solis tantùm sed conspicit vmbram,
 Qui vagus in liquidis piscis oberrat aquis.

Sic nobis, eheu! peregrinis noſcere numen
  Non datur: eſt vmbram noſcere poſſe ſatis.
Vmbram, quam vibrant non tantùm lucida cœli
  Corpora, diffundunt ſed tenebroſa ſoli.
Aëre quod lato, terrâ quod cernis & vndâ,
  Quod viuit, ſpirat, atque mouetur & eſt,
Numinis excelſi ſplendens id dicitur vmbra:
  Autorem clarè teſtificata ſuum.

Anima humana. Maximum in minimo.

Quid minus humano dicatur corpore? bulla,
  Vmbra, cinis, fumus, puluis & aura, lutum eſt.
Mente quid humana dicatur maius? ab alto
  Illa profecta polo, quod ſit vbique, capit.
In minimo magnum ſi neſcis quid ſit: vtrâque
  Parte tui notâ, noſcere poſſe datur.

Nihil vitale niſi quod à cœlo.

In magno terræ qui corpore diditur humor,
  Non, vt quis credat, gramina læta facit.
Hic ſed ab ætheriis qui mittitur imbribus, omnes
  Plantarum fœtus procreat, auget, alit.
Vnda ferax vt ſit, cœlum conſcendat oportet:
  Vita, vigor, fructus ſtirpibus inde venit.
Et dubitamus adhuc vitalia munera cœlo
  An veniant? hoc nos pumila planta docet.

Λιθόσπερμον herba. Durum genus hominum mitescit virtute Christi.

Deucalion vacuum lapides iactaſſe per orbem
  Fertur, & hinc natum creſcere *σπέρμα λίθων*.
Non hoc, gemmato ſurgit quod caule, ſed illud,
  Fronte quod humanâ ſaxea corda tegit.

Quid genus accusas durum? mitescere disces,
Mite iugum Christi si subijsse potes.
Sim lapis ergo licèt, proles censebor Abrahæ;
In Christo si sim, qui mihi Petra, situs.

Stella lucida Hydræ.

Cognita sum paucis tam re quàm nomine: donat
Vnica sed famam lucida stella mihi.
Sic genus obscurum patriámque in nocte latentem
Vir præstans vnus nobilitare potest..

Aqua. Quod vile est, charum.

Vix quicquam fluidâ dicatur vilius vndâ,
Qua maius dicas conspiciásque nihil.
Illa vorat terras, ignes extinguit, & altos
Aëris in thalamos scandit, ibíque manet.
Fit nubes, imber, nimbus, cum rore, pruina,
Vægrandes Crœsi queis superantur opes.
Montibus inde venit campis & vallibus humor:
Quo nostrum viuit, quo pecudúmque genus.
Vile quod est, magnum: quod magnum, vile putare
Si nescis, quâ nil vilius, vnda docet.

Cæcus non videt se esse in tenebris.

Cùm tenebris hominum pars magna prematur opacis,
Heu! nescit tenebras iste vel ille suas.
Quid mirum? mediæ noctis mediæque diei
Discrimen nullum pupula cæca facit.

Non videri, sed esse.

Nomen amant vates quod commendare Sophoclis,
Accipito paucis cur mihi displiceat.

Eſſe σοφὸν volo me, σοφὸν at contemno καλεῖσθαι:
Moribus à noſtris ſunt Phaniæque procul.

Laudacanus.

Laodicea tibi nomen non contulit, ortum
Non Aſianus ager dat tibi, ſed Latium.
Eſt tibi ſed quia mos cœnas laudare potentum:
Hinc Laudacæni nomen habere potes.

Herba Gentiana à Gentio Illyrici rege denominata. Nobilitas eſt bene de humano genere mereri.

Æmula ſum ſceptri, quod regia dextra gerebat,
Dum populos rexit Gentius Illyricos,
Illius inſigni clareſco nomine: clarus
Viribus æternùm viuit & ille meis.
Viribus, aſſiduo quas vſu nouit, vt ægris
Corporibus præſto tuta medela forem.
Gentius interiit, regnúmq; thronúſque, domúſque:
Viuere at huic ſemper munera noſtra dabunt.
Nobilius regno eſt hominum inuigilare ſaluti.
Hoc facito: ſcandet nomen ad aſtra tuum.

Vitis annoſa & nouella. Facta ſenum & iuuenum.

Palmite dependet vindemia multa recenti:
Multùm laudatus nec fluit inde liquor.
Pauca vetus vitis, ſed dat generoſa Lyæi
Pocula, nectareis æmula muneribus.
Multa gerunt iuuenes properante negotia curſu:
Pauca, ſed vtiliùs commodiúſque, ſenes.

Μαθηταὶ κρείττονες διδασκάλων.

Qui sulcat pennis ales Iouis aera, primùm
 Matris ope addidicit posse volare suæ.
At nunc, matre volat meliùs, cœlóque propinquas,
 Matre procul, potis est carpere solus iter.
Hunc imitare, puer: dextram præbente magistro,
 Tollere humo: Aonij culmina scande iugi.
Ingenio tandem nam confirmatus & vsu,
 Doctorem poteris sic superare tuum.

Ingenia dissimilia principum.

Expulit in Pontum Nasonem Cæsaris ira:
 Namque parúm prudens scriptor amoris erat.
Nequitias, Erycina, tuas & furta nefanda,
 Infando pinxit Bilbilius calamo.
Ille tamen placuit Romanis auribus, & vix
 Est inter vates charior Ausonios.
Iudicium dispar miraris? desine: namque
 Ingenium Cæsar non habet omnis idem.

Vanus Seneca paupertatis laudator.

Securè te dicis opes contemnere, laudans,
 Annee, quæ secum fert bona pauperies.
Nam cùm Roma tibi Crassum vix conferat, heus tu
 Quonam pauperies sit tibi dura modo?
Hoc bene sic narras, vt cùm ieiunia, ventre
 Commendat saturo, non sibi nota, gulo.
Quod cupis esse, nefas non est laudare: sed, orco
 Quod magis exhorres tollere laude, nefas.

Ad illud Virgilij Georgic. 2. Agricolis dat facilem victum iustißima tellus.

Cu

Cúrnam Virgilio dicta est iustissima tellus,
 Iniustos tot alit, quæ toleràtque malos?
Quod terræ mandas, mensura reddere iusta
 Hæc solet. Est Iuris linea, norma, modus.

Ad illud 1. *Reg. cap. 8. Israël erat sub vite & sub ficu sua.*

Tegmine sub patulæ ficus vitísque canebat
 Israël summo cantica grata Deo.
Hîc, vbi me ficus, vitis, pomique pyrique
 Quattuor ex vmbris vnica facta tegit,
Te celebrare, Deus, mens est: qui maximus atque
 Optimus es Pastor, Rex, Pater & Dominus.
Post desolatos ferro flammáque penates,
 Pax, te dante, redit: Mars, rabiésque cadit.
Das mentem vitij depulsa nube serenam:
 Sic geminâ donas tu mihi pace frui.
Hæc me circumiens, taceat licèt, admonet vmbra,
 Me esse vmbrã, & quicquid mobilis orbis habet.
Te penes ast vnum nil est mutabilis vmbræ:
 Incerti nihil est, instabilísque nihil.
Da, cùm terrenis fuero semotus ab vmbris,
 In cœli certus sit mihi sede locus.
Vmbræ da ne sit tantùm mihi nomen inane:
 Sed conuiua tuâ vescar vt ambrosiâ.

Ad illud Virgilij Eclog. 1. *O Melibœe &c.*

Si Melibœe tibi semper Deus ille vocatur,
 Qui siuit, errarent hinc vt & inde boues:
Iure mihi potiore Deus dicetur éritque,
 Errantes qui non mî sinit esse pedes.
Ille mihi verè semper Deus vnicus: ille
 Maximus est Rex, est Optimus ille Pater.

Illum nocte vigil, stratis & manè relictis,
Tempora sub mediæ lucis & occiduæ
Ore canam feruens, & feruens pectore. Felix
Musa, Dei laudes cui celebrare datur.

Inanis ostentatio doctrinæ.

Infinitorum librorum nomina narras:
Doctrinæ tamen est guttula nulla tibi.
Sic quidam nuper plantarum nomina multa
Narrabat, cui vix brassica nota fuit.

Euonymus frutex. Præclara sine merito fama.

Diceris Euonymus, nec possum dicere quare:
Dicere sed possum, Diceris Euonymus.
Nobile nomen habent permulti: nescio quare:
Hoc scio sed, quòd ij nobile nomen habent.

Eupatorium herba.

Glorior Eupatoris præstanti nomine: verùm
Gloria mortales prima iuuare mihi.
Permulti sunt, hinc qui nobilitantur & inde:
At prodesse aliis maxima nobilitas.

Troglodytæ. Sophistæ.

Sol oritur? maledicta parant in lumen amœnum,
Antráque se condunt sub nigra Troglodytæ.
Adueniunt tenebræ Phœbo latitante? nigrantes
Extollunt tenebras laudibus innumeris.
O, soboles Erebo veniens rabiosa, Sophistæ:
Troglodytis meritò vos ego dico pares.
Adueniens lumen Veri damnatis, opacas
Futilibus nugis conuehitis tenebras.

Quid verò vestræ nugæ tenebræque merentur?
Vt vos,quod nollim,nox sine luce premat.

Angulus	Rectus / Obtusus / Acutus	Iudex	Iustus / Iniustus.

Linea recta super rectam stans,tangat eandem,
Tunc paribus spatiis angulus æquus erit:
Ast hanc in partem si linea nutet & illam:
Arctus fit vel hebes,qui modò rectus erat.
Norma tibi iusti rectè seruetur & æqui:
Præstantis laudem iudicis inde feres.
In partem tendas hanc si fortasse vel illam:
Aurea iustitiæ laus tibi tota perit.

Theologus incendiarius.

Sacra Deúmque frequens Malardus iactitat ore,
Bullatos titulos iactat & ille frequens.
Ardentes loquitur tædas & sulphura semper:
Quis non hunc meritò θεολογοῦντα vocet?

Noctuæ & Sophistæ comparatio.

Prosequitur diris venientem noctua lucem,
Luminibúsque grauem deputat esse suis.
O,te perpetuâ damnandam,noctua,nocte!
Quæ nulla damnas cum ratione diem.
Et tu,qui cœlis oracula missa vocare
Errorum causas,vane Sophista,soles:
Quæ tu cumque facis nullus percenseat,ast hîc
Noctua quod stultè dicere fertur,ais.

Fumus apes necat. Ex D. Basilio. Curæ mundanæ virtutem perimunt.

Mellificas vt apes ater fugat,aspice,fumus,
Rusticus humenti quem ciet è stipula:

Sic vbi sunt mundi fumantia pectora curis,
Hoc virtus fumo pellitur atque fides.

Ψυχοτρόφος Herba Betonica. Ψυχοτρόφος sacra Scriptura.

Noluit Augustus dotes laudésque sileri
Psychotrophi, doctus quas bene Musa refert.
Et meritò, quis enim morbus non pellitur herbâ,
Omniparens vires cui dedit omnigenas?
Sed mihi charior est Ψυχοτρόφος altera: Ψύχος
Cui minimè, Psyche nomen at ipsa dedit.
Hæc mentem pascit, corpus fouet illa: sublimi
Hæc cœlo: gelido nascitur illa solo:
Illam decantant hominum linguæque manúsque:
Hanc vnus sermo, sed θεόπεμπτος, habet.

Nihil in terris sine næuo.

Psychotrophi vires quis dinumerauerit almas?
Illius radix virus at acre gerit.
Terra nihil profert perfectum quod sit: ab ipso
Quod procul est vitio, dicitur esse bonum.

Helianthemon, Flos solis, herba pumila.

Vix attollor humo, flores & humillimus inter
Deliteo: paucis & bene notus ego.
Illustri Solis sed splendeo nomine: sic fit
Vilibus vt non iam floribus annumerer.
Est Adamo peccante nihil contemptius: ipso
Peccato quid enim fœdius esse potest?
Ast Adamum Christi decoret si nomen, eodem
Clarius est Adamo splendidiúsque nihil.

Puritas

Puritas perfecta.

Limpidus eſt aër: eſt aëre clarior æther:
Æthere lucidior, qui micat axe polus.
Angelus eſt cœlo ſplendens magè: purus at vnus
Per ſe perfectè ſimpliciterque Deus.
Peccato nihil eſt impurius: inficit orbem,
Contenebrat totus quicquid & orbis habet.
Huius at, ô miſerum! ſic me contagia lædunt,
Vt quàm ſim, poſſit fœdius eſſe nihil.
Quî verò munder non aër, axis & æther,
Et non præſtabit ſpiritus Angelicus.
Sed qui munditiæ fons eſt, bonitatis & ingens
Oceanus, ſordes auferet ille meas.
Euge Deus, miſerans nitro me aſperge lauáque:
Et purâ Chriſti contege veſte tui.
Tunc grege Clitumni, cygnis & lacte nouello
Candidior fiam, candidiórque niue.
Aëre limpidior, lucentior æthere, cœlo
Purior: Angelicis par ero ſpiritibus.

Spiritus vnus eſt, à quo multa & varia dona.

Hordea, far, zeam, milium, viciámque, fabámque,
Vno terra parens imbre rigata parit.
Spiritus eſt vnus: ſunt flamina multa, piorum
Quæ variis ditant pectora muneribus.

Deprauatum Angeli Politiani iudicium: quo Pindaricas Odas prætulit Dauidicis pſalmis.

Pindaricis gaudes fidibus raperíſque canoris.
Nec miror: Phœbi pollice digna ſonant.
Aſt ingrata tibi Dauidis carmina miror:
Cùm ſint angelicis, Angele, dicta modis.

Haud tamẽ est mirum:nam suauis amaracus,ecquid
Iucundum fœdæ possit olere sui?

Gallia furens bellis ciuilibus.

Gallia dicatur,dicetur flamma,ruina,
Proditio,cædes,sacrilegúmque nefas.
Fœda rapina,scelus,diuina humanáque versa
Nomine dicentur,Gallia tota,tuo.
Et tamen,infelix! rides:ridebat & olim
Sic Nero,dum Romam perderet ignis edax.
Sic puer insanus ludit,dum torrida flamma
In cinerem patrias vertit agítque domos.
Gaudet & adproperans,igníque calescere gestit,
Qui subitò lacrymans nudus inópsque gemet.

Emendatio temporum Iosephi Scaligeri.

Sedulus emendas priscorum tempora:dignum
O opus Herculea Palladiáque manu!
Emendare tamen mores & tempora praua
Nemo non maius confiteatur opus.
Clare vir,extremum præstas nunc illud ad vnguem:
Hoc præstare potest numinis vna manus.
Fas erit ô mores! ô tempora dicere læta!
Si quàm sunt,(vtinam!) det meliora Deus.

Homo ægrotare incipit cùm nascitur.

Ægrotare petis quo cœpi tempore: dicam:
Principium morbus cepit & ortus idem.
Nam quæ nascenti fulsit lux prima misello,
Ægrotabundum vidit & illa simul.
At tunc incipiet constans mihi surgere vita,
Quum potero præsens dicere,VITA VALE.

Ad

Ad illud Eclog.1. Quantùm lenta solent inter viburna cupreßi. Romanus sedendo vincit.

Dedidit extremæ sese Carthago ruinæ,
Res dum tractat agens impete præcipiti.
At dum Roma sedens, lentè festinat, agítque
Omnia consilio, est totius orbis apex.
Hinc fit viburno lento, celsæque cupresso,
(Si non fallor ego) par tibi Roma, Maro.

Sol quo remotior à terra, hoc viuidior. Auxilium diuinum propinquum.

Dum citus est, Cancro iunctus, terrísque remotus
Sol, peragit solitas nota per astra vias.
Ac tunc maiorem fundit cum luce calorem:
Nam nostrum rectus tunc videt ille caput.
Cùm Deus à proprio grege longiùs ire videtur,
Fit propior, proprio pastor adéstque gregi.

Amantium amentium amorem imitari.

Nolo, Cupido, tuis vras me perdite flammis:
Nam tuus exitium gignit alítque focus.
Opto tamen, faxítque Deus, malè sanus amator
Quod facit, hoc faciam sanus amator ego.
Illé suam semper repetens meditatur amatam:
Præsentémque illi nóxque diésque refert.
Da, Deus, igne tuo nostrum sic pectus aduri,
Vt te vnum sitiat, spiret, amétque suum.

Fluuius, Ventus, Prester. Vita humana.

Vnda fluens quid erit? Fluuius. Quid, si fluat aër?
Ventus: sed Prester fluxilis, ignis erit.

Vita fluens hominum quid erit? Fax igne perempto:
Quæ fuit; & non est: sed neque præter erit.

Ad illud Auerrois, Monstra in morbis fiunt.
Historia.

Non audita loquor tantùm, mî credite: vidi
His oculis, tetigi non dubitante manu.
Acer erat iuuenis, medio cui vulnus adactum
Est capiti: cerebri pars quoque cæsa fuit.
Ille tamen viuit. Si credas arte Melampi
Hoc factum, peccas: hîc medicina silet.
Monstra sed in morbis Arabum flos ille Sophorum
Quod fieri dixit, re patet apse palàm.

Ex hoste amicus.

Spina manum stimulo primùm quæ punxit acuto,
Illa regit gressus nunc stabilisque pedes.
Sic tibi qui nuper fuerat grauis hostis, amicus
Nunc opportunâ gratificatur ope.

In illud Hipparchi apud Platonem, μὴ φίλον ἐξαπατᾶ.

Cur, Hipparche, vetas ne quisquam fallat amicum?
Cernitur in dicto pugna reposta tuo.
Si quis amicus erit, non fallet. Fallet? amicus
Haud erit. Ergo alio concipe verba modo.
Sed tamen haud temerè loqueris: per nomen amici
Fallere, perfacilis, trita frequénsque via.

In poëtam Donipetam.

Dum paruo captas ingentia carmine dona,
Hamo piscaris, Sexte, papyrigero.
Sic cauponaris Musas: ederacea serta
Hinc aptant capiti, cum ratione, tuo.

Venales ederâ mos est ostendere merces,
Venales versus fronde sequace notant.

Tacere vel prudenter loqui. Persica arbor. Ex Hieroglyphicis Ægyptiis.

Harpocratem iuxta stat Persica picta: quid istâ
Ægyptus voluit significare notâ?
℟. Dicitur hæc foliis stirps esse simillima linguæ:
Cordis at effigiem pendula poma gerunt.
Scilicet vt taceat, vel prudens lingua loquatur,
Hæc clarè, quanquam symbola muta, monent.

Odia fratrum, vectes ferrei. Prouerb. Salom. cap. 18. 19. Item, Amor Furiæ iunctus. Ex Alexandro Aphrodisæo.

Cur Amor adiunctus Furiarum dicitur vni;
Aphrodisæus ait Magnus vt arte senex?
Nimirum, quos iungit amor, si dira simultas
Ardescens odiis fortè coorta secat.
Res furiis agitur: modus interit omnis, & angues
Alecto vibrat perniciosa suos.
Durior hinc ferro fratrum discordia fertur.
Hoc frangas: illam vincere nemo queat.

Mortales omnes reipsa declarant, quàm sit verum illud Ecclesiastæ:

Omnia vanitas: Deum time, & mandata eius serua. Hoc est totum hominis.

Scilicet, obscurè fueras, Rex docte, locutus:
(Dum caneres miris Omnia vana modis)
Vt quàm multus agit toto mortalis in orbe,
Tam sit clarator multus in orbe tuus.

Rex,seruus,sapiens,stultus,iuueniśque,senéxque,
Diues,honoratus,pauper,honoris egens:
Humanis clamant rebus nil præter inane:
Vanáque non vanè cuncta perire docent.
Omnia vana docent omnes interprete lingua:
Omnia vana docent ménsque manúsque simul.
Quin,qui vana queror cunctis in rebus,inanis
Mente,manu,linguâ,cogito,scribo,loquor.
Attamen est ratio,vani qua nomen inane
Diffugiat,solidi fons maneátque boni.
Mandatis,Deus alme,tuis parére libenter,
Et tangi puro numinis igne tui,
Dat firmum vitæ nunquam pereuntis asylum,
Nil & inane subest,hoc vbi munus adest.

Myricæ. Vana spes hominum sine Deo.
*Ex Ieremiæ cap.*17.

Versibus in nostris & vos estote,myricæ:
Quas alit exsuccas vix lapidosus ager.
Viribus humanis terrenâ quisquis & arte
Fidit,& à cœli non bene pendet ope,
More,myrica,tuo languescit tabidus,ac si
Dissiliat toto corpore vita fugax.
At cœlo fretus,fidei subnixus & aura,
Arbor vt in fontis margine læta viret.
Caudice quæ procera,comis diffusa,decora
Floribus, & multa fruge grauante viget.
Vos,quibus est terræ semper mens panda,myricas
Sumite:frugiferis misceor arboribus.

Ficta lachryma meretricis.Helenium herba nata ex Helenæ lachryma.

De lachrymis Helenes Inulæ stirps nata putatur:
Hanc ob rem non huic plurimus humor inest.

Nil aret citiùs lachrymâ:ſuper aret at omnes,
Lachryma quam meretrix fundere vafra ſolet.

Rhodanus præfectus, Valentiniani Imperatoris iuſſu crematus. Ex Cedreno pag. 225.
Ænigma hiſtoricum.

Ignis edax Rhodanum Bizanti abſumpſit in vrbe:
Hoc ænigma mihi ſoluito;Phœbus eris.
℞. Quas Rhodanus(Iudex erat hic)tegere atq; tueri
Debuerat;viduæ pauperis, hauſit opes.
Id tulit indignè qui ſceptra gerebat,& idem
Vt iuſto fieret præcipit igne cinis.
Quiſquis es,aſſiduo morſu qui rodis egentes,
Exemplo Rhodani, fas temerare caue.

Epops auis. Laudata & illaudata.

Et noſtro memoretur Epops in carmine:cui ſunt
Quæ laudes,ſunt quæ vituperare queas.
Perpetuo gaudet nidi fœtore cibíque:
Hoc fugiat,dici quiſquis honeſtus auet.
Idem ſuſtentat feſſos ætate parentes:
O vtinam moueat,quos auis iſta monet.

Deum timenti aſtra non metuenda.

Ter fœlix hominum genus,
Si ſanctis animis amor
Veri numinis imperet!
Non illos crucians timor
Aſtrorum dubios trahet.
Aſtrorum Domino pius
Nam qui ſeruit,habet nihil
Quod formidet,& aurea
Libertate fruens,pede

Concúlcat valido minas
Martis,Mercurij,Iouis;
Verum nam Iehouam timet.

Apes. Omnibus vtiles,omnibus chari.

Dulcia quò pueris formentur crustula,flores
Carpite,ne parcè mellificetis apes.
Et,quò nocte queam chartis incumbere,ceræ
Lucificæ,largè dona fecunda date.
Sic labor ætati vester percommodus omni;
Ætas vt quæuis vos amet,efficiet.

Roma meretricia.

Acca tulit primum meretrix tibi, Roma,parentem;
Et moriens meretrix Flora reliquit opes.
Et mirare Venus si regnat in vrbe Quirini?
Scorta olim donis hoc peperere suis.

Celastrus arbor curâ deterior,ex Theophrasto.
Indocile ingenium.

Degenerat curâ viridis Celastrus,& omnem
Arborei cultus temnit & artis opem.
Solertis nunquam desit tibi cura magistri,
Doctior aut melior non tamen inde redis.
Edicam causam: Celastro par tibi mens est,
Par animus:malus hic,hæc mala namque tibi.

Seneca Neroni adulans tandem ab illo necatur.

Gratus adulando dum vis,Seneca,esse Neroni,
Te domino,est fœlix maximus orbis,ais.
Nobilis hoc spondet rutilanti crine cometes,
Quem lætis oculis nunc tua Roma videt.

At dum præſagis fœlicia fata Cometæ,
Indicio Nero dat præmia digna tuo
Annee; nam fera trux nunquam manſueſcit: & atro
Vt cicurem feriat crine cometa facit.

Picus auis. Futilitas ſtultos prodit.

Annoſam picus roſtro dum percutit ornum,
Indicio ſtolidus proditur ipſe ſuo.
Aëra percutiens verbis blaterator ineptis,
Oris detegitur futilitate ſui.

Se explorare ad legis diuinæ normam.

Dogmata Pythagoræ meritò laudantur, vbique
Diſcipulis prudens quæ dedit ille ſuis.
Scilicet, antè darent quàm dulci lumina ſomno,
Quáque recenſerent quælibet acta die.
Qua re peccaui? quid feci? portio quænam
Non bene præteriti defuit officij?
Tu, grege de Chriſti qui diceris eſſe, memento
Tempora momentis pendere quæque ſuis.
Vt cùm cognoris ratio reddenda quòd vni
Sit Domino, pendes, cuius ab arbitrio:
Nil reputet, dicat, faciat, mens, lingua, manúſve,
Quod non ſit gratum conueniénſque Deo.

Ex Leuit. 26. Dabo cœlum ſicut ferrum, & terram ſicut æs.

Æri vel ferrò veluti dureſcere mos eſt:
Sic hominum multis pectora dura manent.
Hinc cœlo facies eſt ferrea, & ænea terræ:
Et ſpes, agricolas quæ fouet, omnis abit.
Pectora molleſcant, cœlum miteſcet, humúſque
Gramine cernetur tunc reuirere ſuo.

Peisistratus & Pericles tyranni, hic linguâ ille armis.

Fulminea valuit lingua doctáque Pericles
  Quo voluit Græcos flectere cunque modo.
Ast illis gladio Peisistratus induperauit,
  Iussit & admisso subdere colla iugo.
Tristis vterque fuit patriæ crudúsque tyrannus:
  Nil etenim refert, ore vel ense furas.

Ex Seneca. Oportet eadem modo verba serere, quo farra.

Est Titius præceps, est tardus Cœlius ore:
  Quæris quis prosit, quis placeátve magis?
Semen vti sparsim iacitur, quo surgat amœnum:
  Vt prosit sermo, sic iaciendus erit.
Auribus vt placeat, præceps diuerberat auras:
  Quò doceat, tardus commoda verba facit.

Ad illud Augustini: Malo eloquium in me desiderari, quàm loquacitatem reprehendi. In loquaculos.

Elinguem dici me nolo: nolo loquacem:
  Attamen huic illum præposuisse velim.
Huic multùm glumæ, farris nil: farris at illi
  Est aliquid: glumæ nil at inanis adest.
Detinet hic aures nugis animósque canoris:
  Vtilium rerum proderit ille modis.
Quid nugas vocitem rogitas? ex asse deuncem
  Discito sermonis tu resecare tui.
Vncia de toto remanens te parua docebit,
  Nugas esse meras omne superuacuum.

Morum ſimilitudo & diſsimilitudo. Martialis & Iuuenalis.

Marce,tuum vocitas Iuuenalem: Tu,tamen hoc non
Eſſe putem verum qua ratione,vide.
Nequitiæ doctor,ſi quiſquam,Marce,fuiſti:
Sed caſtigator maximus ille fuit.
Cyprida ſi fugeres longè,damnauit vt ille:
Surgeret inter vos gluten amicitiæ.
Moribus abſimiles bene non coaleſcere poſſunt:
Sed bene conueniunt moribus adſimiles.

Humanæ rationis ſpeculum deprauatum in diuinis dignoſcendis.

Eſt ſpeculum,quo quæ ſunt dextra ſiniſtra putantur:
Quæque ſiniſtra vides,dextra fuiſſe putes.
Huic ſimilis ſpeculo eſt ſtultæ rationis abuſus,
Dum diuina ſuis cernere vult oculis.
Sæpe bonum damnat quanquam laudabile:laudat,
Damnari dignum quod fuit eſtque malum.

Contra illud Solonis, Dici beatus nemo debet ante funera.

Vt quis dicatur fœlix,eſt vltima vitæ
Expectanda dies:Verba Solonis erant.
Sed qui non norat diuini dogma Dauidis:
Quo,viuens fœlix quî queat eſſe,docet.
A Cunis,inquit Dauid,ſi diſcere cures
Quæ præcepta dedit non temeranda Deus,
Illaque nocturno ſtudio & meditere diurno,
Et menti ſanctum iungere quæris opus.
Ter quater hac viues fœlix normáque modóque,
Neſciit iſta Solon,vel ſchola tota σοφῶν.

Curatio dissimilis vulnerum corporis & vulnerum animi ex Cornelio Celso.

Vulnera corporibus nostris inflicta, requirunt
Pharmaca sicca, labris vt coalere queant.
Ast animis infesta petunt humentia: sanant
Nam peccata preces, cum lachrymisque dolor.

Contra illud, Lasciua est pagina, vita proba est.

Quod Lasciua tibi sit pagina sponte fateris,
Attamen affirmas quòd tibi vita proba est.
Hoc aliis forsan persuaseris: at mihi nunquam.
Vix bonus est crebro cui sit in ore Venus.
In mores transit studium, quod scribis & audis
Sumptaque de turpi fornice verba legis,
Quin te delectent non dixerit vllus: at ille
Turpia cui placeant, dic mihi quî bonus est?

Chelidonia herba. Ad principium psalmi 27.

Dat Chelidon pullis nouies pia lumen ademptum:
Stirpe sibi notâ quod reparare solet.
Mî cœli dono lumen reuocatur Adami
Amissum tenebris, non rediénsque meis.
At dator est lucis Deus, & renouator: eúmque
Caligo nubis non premit occiduæ.
Mille per ille vias & deuia mille, tenebras
Ille meas abigens fertque refertque diem.
Lethales ergo non formidabo ruinas,
Ille mihi lux, dux, semita, vita, salus.

Dauidis laus suprema pietas, 1. Samuel. 16.

Pulcher erat Dauid, formâ linguáque disertus:
Puncta duo laudis nam tulit illa simul.

Huic

Huic fuit & vehemens pietatis candor & ardor:
Hæc dici laudum palma suprema potest.

Innocentia tuta contra maledicentiam.

Oblatrant Lunæ (cœlo dum candida lucet)
Immundíque canes carniuorique lupi.
Non tamen idcirco vultum mutabit amœnum
Aut solito fiet fulgida luna minus.
Allatrant, spernunt, rident, mendacia spargunt
Ora venenato quæ mala pure madent.
Quid facias? Ronchos, sannas, maledicta malorum
Sperne volens, sperni te quoque sperne libens.
Contemptũ, inuidiam atq; odiũ sic vincere pergens,
Virtutis custos Hercule maior eris.

Christus vnus ad cœlum suos vehit.

Qui gemini currus cœli voluuntur in æthrâ,
Terrenas signant æquoreasque vias.
At supra cœlum quæ regna beata locantur,
Illorum possit nullus adire rotis.
Vnicus est etenim currus qui tollit in altum
Electos summi & ponit in æde Patris.
Christus is est, victor qui celsam vectus in arcem,
Ipse sibi regnum quæsiit atque suis.
Es via, dux, lucis fons atque scatebra perennis:
Christe, foue, trahe nos, duc, vehe, fer, retine.

Virtus inuidiæ domitrix.

Quanquam non noceat, tamẽ est sufferre molestum
Inuidiam, Stygij principis arte satam.
Virtuti comes est, nec amica, sed insidiatrix:
In cassum sed eunt illius insidiæ.

Inuidiæ quòd si tu tela retundere quæris,
Fac vt virtutis te panoplia tegat.

Nihil præter decorum.

Arguit esse virum te barba, monétque videndum
Vt muliebre nihil, molle patresque nihil.
Et, nihil vt stolidè facias leuiterve, suadet,
Quæ te canities arguit esse senem.

Nihil sine lumine diuino.

Cernere non possis, quanquam sis Lynceus alter:
Illustret si non clara Lucerna domum.
Ingenio posses genios si vincere, si non
Diuino clarum lumine pectus habes:
Errabis cœcus toto cœlóque viáque,
Nescius atque Dei, nescius atque tui

Qui egenis est commodus, est sibi commodus.

Vt furca pressas frugum sub pondere frondes
Qui leuat, haud frondi proficit, immo sibi.
Commodat ipse sibi, miseris qui commodat, & qui
Firmâ lapsuris auxiliatur ope.

Impia relligio.

Impia relligio cur est vocitata Catullo?
Est vbi relligio, non erit impietas.
Sin erit impietas, aderit nil relligiosi,
Tartara nigra nisi sydera clara voces.
Non tamen es nulla ratione, Catulle, locutus;
Plurima relligio crimina falsa patrat.

Propagatio generis humani.

Magno spica nouum reddit cum fœnore semen,
Eque vno tantùm plurima grana refert.

Multi

Multi vno veniunt nati de Patre: perennant
Sic annos hominum secla per innumeros.

Mali bonis noxij.

Improbus esse probis quînam se monstret amicum,
En, clarum Testæ Petra propinqua facit.
Hæc illam fregit minimùm collisa, breuíque:
Vnâ de testâ fragmina mille parit.
Vt morum paritas similes compingit in vnum,
Dissimiles morum disgregat imparitas.

Vita humana fugacißima.

Vnda fluit Rhodani, pernicibus hinc volat alis
Accipiter: velox & pede currit equus:
Præterit aura leuis: Notus aufugit: aret & herba:
Ros, stirps, flos, fructus, frons foliúmque cadunt.
Hæc vno fieri cernens punctóque locóque,
Dico, fugax tamen est, vt puto, vita magis.

Deo vocanti parere. Ἕπεσθαι θεῷ.

Dicebat Moses, QVOCVNQVE VOCAVERIS IBO,
O DEVS, & duce te est inuia nulla via.
Inde ducum meritò primus censetur, eíque
Nunquam figendus contribuetur honos.
Esse cupis summus? Fac numinis omnia ductu,
Illius iniussu suscipitóque nihil.
Oppositi fugient te sic peragente labores:
Et subitò fient aspera plana tibi.

Haminantes in salinis tectis habitantes. ex Solino. Importuni sales.

In sale constructis Haminantes viuere tectis
Dicuntur: quibus est nil magis insipidum.

His ego dico parem,(quo nil insulsius vsquam)
Ridiculos semper qui iacit ore sales.

Crocodilus. Vi & fraude agentes, non ratione & verbis.

Dentibus armatur, lingua caret, ad vada Nili
Ἀμφίβιος vitam qui Crocodilus agit.
Qui ratione nihil vel linguâ conficit (hæc sunt
Quæ generi nostro contulit arma Deus)
Sed vi cuncta gerit iuncta cum fraude malignâ,
Sede carens certâ, est par Crocodile, tibi.

Studia infructuosa, facta fructuosa.

Quid steriles Musas? Studium quid inutile clamas,
Quod præter chartas dat tibi ferme nihil?
Non sunt infecti factive talenta metalli:
Quid valeat nummus vix tibi nosse datur.
Plena labore trahis, vacuatáque tempora fructu,
Et tibi Mecœnas non tulit vllus opem.
Mitte queri. Pia Musa dat his maiora: quietos
Nam fluctus animi, numine dante, facit.
Recreat ac reficit mentem plerumque labantem;
Mœstitiæque grauis pondera dura leuat.
His Arabum gazæ cedunt: quod voluitur aurum
In mare, non illis æquiparare queas.
Si tibi nil superest, nil deest: despice nummos.
Hos qui despiciet, credito, diues erit.

Ambrosia herba. Fœlicitas terrena, nomine tenus.

Ambrosiæ nomen vulgus tibi contulit, ac si
Morte carens, esses vincere fata potens.
At cadis: immortalis & est te nemo iuuante:
Ambrosiæ quare nomen inane geris.

Sic

Sic quotquot ſperant fore ſe tellure beatos,
Vah! quàm fallantur res docet ipſa palàm.
Fallor at ipſe:modo fœlices hoc reor illos,
Ambroſiæ quo vox conuenit Ambroſiæ.

Contagio à minimo principio.

Vua velut tactâ liuorem ducit ab vuâ,
Vnius & ſcabie grex cadit omnis ouis:
Sic dabit in plures diram contagio labem,
A minimo primùm deflua principio.

Vitæ prodiga temeritas.

Iuglandem celſa temerarius arbore captans
Occidit,incauto dum pede fortè ruit.
Prodigus eſt lucis,quàm caſſa cum nuce mutans,
Caſſus luce cadit,pro nuce fértque necem.

Nomen ſine re. Lagopus herba.

A leuitate pedum lepus eſt ſi dictus,ab illa
Ne ſtirpi huic nomen dixeris eſſe datum.
Nam quæ pigra loco ſtat,nunquam mobilis,illa,
Decipior,quicquam ſi leuitatis habet.
Ergo,ſic meritâ donatur voce Lagopus,
Nomina,ceu quidam qui ſimulata gerunt.

Ad illud Ouidij, Viue tibi,quantúmque potes prælustria vita. Cui opponitur dictum Sidonij Apollinaris.Bene viuit,qui non ſuo, ſed alieno bono viuit.

Quã bene,Naſo,tibi dictũ, PRAELVSTRIA VITA,
Eſt pariter dictum tam malè,VIVE TIBI.
Viuit enim bene,qui proprio non viuere nouit,
Sed vult communi viuere poſſe bono.

Plura discipulis quàm praeceptoribus debeo.

Absit ego vos discipulos dicámve, putémve,
Discendi per quos est via strata mihi.
Dat mihi suggestum, nomen fortasse magistri,
Discentum per vos cœtibus annumeror.
Nam dum quærendi vos ardor pungit amórque,
Sollicito solitum discere plura mihi.
Multa meis nunquam debere negabo magistris:
Plura, fatebor enim, debeo discipulis.

Laudatus discipulus.

Qualem discipulum nolímve velímve requiris?
Nolo nimis tardum præcipitémque nimis.
Discere qui facilis, qui scita tenere fidelis,
Illáque iudicij pendere lance potens:
Musarum sitiens, cupiens sitiénsque laboris
Assidui: semper discere plura petens:
Non leuis his istæc, istis hæc vertere cœptis,
Vnam doctrinæ firmus & ire viam:
Adspirante Deo studiis, breue nomen habebit
Discipuli, & paruo tempore doctor erit.

Rex quod licet, Tyrannus quod libet, facit.

Iniustum iusto mutabis, Rege tyrannum,
Si sit in alterius littera versa vicem.
Scribito C, Regem facies: B pinge, tyrannum:
Quod libet hic etenim, quod licet, ille facit.

Ad votum Socratis, quo optabat se intus & foris pulchrum fieri. Ex Platonis Phædro.

Socratis optatum vulgò memorabile fertur,
Intus quo petiit pulcher & esse foris.

Sed

Sed quid vota iuuant, quæ nunquam tangere possis?
Concipe contingi quæ rata vota queunt.
Talia Paulino signata videbis ab ore,
Quando cum Christo se cupit esse simul.
In cute pulcher ero, Christo coniunctus, & intus:
Namque Dei fiam; Christus erítque meus.

Vergilius Maro.

Roma, Maro fiet: fiet Maro, Roma: secundæ
Si mutata venit syllaba prima loco.
Contigit id, Musis, credo statuentibus: vnus
Nã Maro doctus habet, Roma quod ampla tulit.

Aquei fluminis collatio cum flumine igneo, de quo Psal. 97.

Impete præcipiti currentem conspicis vndam?
Lentescet tandem, sit rabiosa licèt.
Flumen at ignito vibrans è gurgite flammas,
Iudicis anteiens ora tremenda Dei,
Ecquis obex sistat? quin semper pœna malignos
In Phlegetontæo carcere dira premet.
At scelerum puros non tanget flamma: madebunt
Namque tuis semper, Christe redemptor, aquis.
Flamma vorax potiùs blando perimetur ab igne:
Quo nos ardescens diligis atque tegis.
Sic sontes, Christo quæ vindice, flamma peruret:
Clarabit, Christo perficiente, bonos.

De Petro Planco insigni Theologo & Geographo.

Te maris & terræ scriptorem, Plance, vagíque
Aëris admirans ora Batauа videt:
Cœlestísque viæ ductorem voce piísque
Exemplis magnâ cum ratione probat.

Vndis & terris cœlóque Batauia fœlix,
Monſtratas à te ſi ſcit inire vias.

Auari ditißimi, & Zenobiæ reginæ ſimilitudo & diſsimilitudo ex verbis Trebellij Pollionis. Vincti erant pedes auro, manus quoque aureis cathenis: nec collo deerat aurum.

Aurea Zenobiæ memoras qui vincula, peccas
Hæc ſi fortè minùs dura fuiſſe putes.
Namque laborabat manibus pedibúſque reuincta,
Pondere gemmato colla grauata gerens.
Stringeris auratâ religatus Auare catenâ:
Hoc par Zenobiæ diceris eſſe modo.
Zenobiæ mens fortis erat: nil mentis auaro eſt:
Sic eſt Zenobiæ, degener, abſimilis.

Senectus ætas laudatißima, ad illud Platonis, ἡ τῆς διανοίας ἄρχεται ὄψις ὀξὺ βλέπειν, ὅταν ἡ τῶν ὀμμάτων τῆς ἀκμῆς λήγειν ἐπιχειρεῖ. *Contra illud Ouidij:*
Iam mihi deterior canis aſpergitur ætas.

Deterior canis ætas aſperſa, ſenectus
Eſt imprudenter, Naſo, vocata tibi.
Si nil deſit vbi prudentia regnat, cámque
Conſilio præſtans ferre ſenecta poteſt,
Ætates inter melior non vlla ſenili,
Conſilij recti quæ ſolet eſſe parens.
Namque licèt ſenſim minuantur corpore vires,
Tunc robur menti ſtátque vigétque ſuum.

In illud, λέοντος θανόντος ἐφυβρίζουσι λαγωοί.

Syluarum fuerat qui nuper maximus horror,
Conſpectum reliquæ quem timuêre feræ,
Morte leo cecidit, quem circum plurimus adſtat
Et barbam vellit vilis ad arma lepus.

O mo-

O mores! quem nulla manus, dum viueret, ausa est
Tangere, Musarum quem coluére chori,
Mordet turba procax, indoctáque. Phœbe, tuorum
Sis vindex, armis & tege, quæso, tuis.

Deus seligit bonos à malis.

Quis non agricolæ laudarit facta periti,
Dum lolium paleásque bonis à frugibus aufert:
Illas mobilibus iactandas protinus auris,
Has anni custos vt in vsus area seruet?
Et mirare Deum sanctis à cœtibus atros
Secreuisse canes? mouisse ab ouilibus hircos?
Este procul sacris: sacris procul este prophani:
Purâ mente coli se vult venerabile numen:
Quam gemmam nouêre pij: sed turba malorum
Contemptam pedibus gaudet calcare suillis.

Laus bonis: infamia malis.

Illustres animas! ô fortia pectora, dulci
Pro patriâ exanimes qui iacuere suâ!
Par animi laus est horum, qui tramite recto
Virtutis pergunt carpere fortis iter.
Infames animas! immania pectora! contra
Ausi qui patriam stringere tela suam.
Par animi labes horum, qui tramite prauo
Attentant vitij turpis inire vias.

Consortia bonorum malos fugant & emendant.

In viridi syluâ ceruus dum liber oberrat,
Et varios lustrat nare sagace locos:
Dicitur ex antris halans reuocare latentes
Chersydros, quorum dira venena fugat.

Sors eadem eſt ſanctis, quorum pietate fugantur
Sæpe mali, fiunt frugiferíque boni.

Cœlum petentibus mundanus honor contemnendus.

Vt quem tangit amor regni, non ſiſtitur, alter
Eximius quanquam contribuatur honor.
Sic quicunque pius cœlo diſtentus anhelat,
Conculcat tellus quicquid honoris habet.

Sacræ Scripturæ oracula.

Si punctum omne tulit, qui miſcuit vtile dulci,
Nullum non punctum pagina ſacra feret.
Hac ſine iucundum nil eſt, nil vtile: cúmque hac
Vtile, iucundum quod legis & quod agis.
Suauiter halantes florum plerumque maniplos
Stirpibus ex hominum carpere dulce quidem:
Aſt hinc doctrinæ flores fructúſque beatos
Fœlicis vitæ, non aliunde capis.

Præcox ſapientia. Pandi Indiæ populi apud Plinium lib. 7. cap. 1.

Extremos etiam celeres curramus ad Indos:
Non vt aceruus opum nobis cumuletur auaris,
Eous quas celat ager: ſed dogma petentes
Delapſum cœlo quod fertur γνῶθι σεαυτόν.
Pandorũ genus eſt hominum prope flumina Gãgis,
Quos ſimul ac Lucina parens in luminis oras
Extulit, excepítque ſinu primæua iuuentus,
Cana gerunt albæ niuis æmula tempora circùm.
Aſt ætas cùm viuidior fortaſſe receſſit,
Rugáque triſtis arat vultus, tum vertice nigro
Et mento corui reddit fuligine pennas.

Hac

Hac verò multos hominum sub imagine cerne:
Qui sapiunt proauos, primæ dum tempora vitæ
Adueniunt, & Socraticis Zenonia miscent
Dicta, quibus Sophiæ passim videantur alumni.
Tempore sed postquam longo & robustior vsu
Expectata diu nusquam prudentia surgit,
Heu pueri bis, bis fatui! qui dedecus ingens
Accersunt capiti vacuo, purgare potenti
Veratro nunquam posset quod cura Melampi.
Hermogenes docet id Rhetor, quem Græcia quon-
Inter grandæuos iuuenem numerauit, & inter (dam
Apposuit iuuenes grandæuum. Tempora vitæ
Sic nostræ, Deus alme, regas, nil extet vt aptè
Ætati quod non & nostræ congruat arti.
Fac sancti sanctè iuuenes iuuenilia tractent,
Cura senes prudens ornet, iuuenúmque senúmque
Sis pia cura, simul curans iuuenésque senésque.

Lapithæ ebrij. Sapientia humana velut ebria in diuinis rebus diiudicandis.

Audisti Lapithas perdomitos mero?
Illis non ratio, lingua, pedes, manus
Edebant solitas muneribus vices.
Ast errore malo ceu pecus inscium
Prodebant animi, vah! rabiem feri.
Audisti vario circuitu graues
Humanæ proceres quæ sapientiæ
Subducunt rigidis articulis, volunt
Dum diuina suis pendere lancibus?
Hos nullis meliùs quàm Lapithis pares
Si credis, meliùs credere nil potes.

Adolescentis mater loquacissima, Iocosum.

Certior est matris, quàm patris notio. Partus
Nam sequitur ventrem, regula Iuris ait.

Attamen hæc fallit,vel fallor,norma:loquaces
Te magis eſt inter fœmina nulla loquax.
Eſt planè mutus puer hic exórſque loquendi:
Illum quis natum dixerit eſſe tuum?

Vana gloria mortalium.

Ire per ora virûm,res aſpice quàm ſit inanis:
Namque Iri & Crœſi nomen vbîque volat.
Nec miſero Crœſus nunc eſt fœlicior Iro:
Nec minùs eſt Crœſus,quàm miſer Irus erat.
Quos hominum volucris ſeparabat opinio quondam:
Vnica mors æquat, monſtrat & eſſe nihil.
Quid plebs,quid proceres dicant,non valde laboro:
In cœlo nomen ſit ſatis eſſe meum.

Nemo poteſt omnibus placere.

Dum prodeſſe cupis cunctis,nullíque nocere,
Te multis minimè poſſe placere doles.
Sit procul iſte dolor:mittit qui cœlitus imbres
Frugiferos,cunctis non placet ille tamen.

Εὐχαριστία pro inſolita fertilitate anni 1604.

Liber & alma Ceres,non veſtro munere tellus
(Nomina vana eſtis)farra merúmque tulit.
Illa dat ille Boni veri qui verus & vnus
Author & auctor,& eſt plena ſcatebra,Deus.
Annis hic largum ſe cunctis præbet: at annum
Hunc clarum mirâ fertilitate notat.
Horrea triticeo curuantur pondere:muſto
Præla recente gemunt; plenáque cella calet:
Fœtibus arboreis penus omne repletur:abundat
Tauris,agno,hœdo,villula:ſylua ſue:

Dant

Dant montes lactis riuos: examina melle
Sudant: quadruplicis gloria surgit agri.
Hoc non ingratis da sic cognoscere dona,
O Pater, vt tuus hinc concelebretur honos.
Da sanctè sic his vti, maioribus olim
Vt des posse bonis perpetuísque frui.

Camelus non bibit nisi turbidâ aquâ. Sophistæ.

Non bibit, vnda nisi fuerit turbata, Camelus:
Turbida quò magis est, hoc bibit ille magis.
Turbida delectant tenebrosos dicta Sophistas:
Falsa docent, tenebris dogmata tetra tegunt.

Irasci non est odisse.

Dum grauiter peccas, irascor & arguo. Quid tu?
Sunt, ais, hæc odij signa diserta tui.
Siccine? Quod nescis odij discrimen & iræ,
Te doceat, propè quæ gramina carpit, ouis.
Non semel illa suo balans irascitur agno:
Non semel hunc flexo percutit illa pede.
Attamen vt tegat hunc contráque pericula seruet,
In medios enses insilit atque rogos.
Et dices odijs nos indulgere? Seuera
Est censura quidem, non inimica tamen.

Funus coruo salutatori factum, Africano Scipioni negatum, ex Plin. lib. 10. cap. 43.

Corue salutator, te plebs Romana peremptum
Luxit, & insolitas contulit exequias.
Scipio seruator, te plebs Romana parentem
Non luxit, nullas fecit & exequias.
Quærenti causam tanti discriminis, vna
Occurrit, plebs nil cum ratione gerit.

Imperare sibi difficillimum. Ex Plinio de L. Lucullo.

Ne patinæ noceant Lucullo, seruus adhæret,
Qui dominus Domini sit manus atque gulæ.
Imperióque suo Pontum qui pressit & armis,
Imperio serui subditur ille sui.
Ardua res aliis est induperare: sed vni
Induperare sibi, res magè difficilis.

Ad illud D. Matth. 10. Falsi propheta vestiti vt oues.

Ecce lupum sequitur vicinia tota, tenello
Pestis acerba solet qui malus esse gregi.
Falsa docens lupus est: hunc Christo grex sacer arce:
Exteriùs quanquam vestis ouina tegat.

Galli & Hispani comparatio ex Rhodani & Tagi auriferis arenis.

Auriferam Rhodani quisquis non credis arenam,
Huc ades: atque Tagi dixeris esse parem.
Pignia, Ruscinum, Pognissia, Cantia, testes:
Aurilegos solitæ quæ celebrare locos.
Fama Tagi volitat, Rhodani silet. Illud Iberi,
Hoc Galli monstrat quale sit ingenium.

De quodam qui, alioqui tardus & stupidus, habebat crebrò in ore illud, Puluis & aura sumus.

Sum leuis aura, tuo iactatur in ore frequenter:
At quâ demonstres id ratione vide.
Est tibi plumbea mens, resina lentóque veterno
Pigrior es, nihil & tu nisi pondus iners.

Sum

Sum leuis aura ergo ne dicas:plumbea massa
  Aut demonstrato quid leuitatis habet.

Christus terget oculos suorum ex Apocalypsi cap.7.

Humentes lachrymas quis aquâ siccauerit vda?
  Quæ siccet lachrymas,en aqua larga,tamen.
Illa fluit vena de non arente:fruaris
  Quâ si tu,deerunt tunc bona nulla tibi.
Gratia nam Christi est humórq. calórque perēnis,
  Siccat & humectat,roborat atque lauat.
Omnibus est etiam satiasque Dathusque bonorum.
  Christus enim datus est,omnia fitque piis.

Senectus nuntia vitæ alterius.

Tempora cana canunt nostri vicina receptus
  Tempora:nec quicquam certius esse potest.
Tollere humo,pia mens:instat pax plena:parantur
  De mundo,Satana,carne trophæa tibi.
Militiæ restant discrimina parua misellæ:
  Nuntiat id tacito lenta senecta sono.

De quodam qui spectandis imaginibus erat semper intentus.

Depictis gaudes delectarísque figuris,
  Quas oculis tacitus conspicis assiduis.
Est similis simili se consociare suetus:
  Pictus homo pictis gaudet imaginibus.

Laudandi qui Publico student prodesse.

E doctis veterum quæ sumpsit Plinius arcis
  Solinum furto surripuisse ferunt.
Hic si damnatur,cur non damnatur & ille?
  Quod patitur siquidem fecerat ille priùs.

Suſpicione malâ nolim ſed vtrumque grauare:
 In commune quibus cura ſtudere fuit.
Mome licèt carpas, Solinus, Plinius, ampla
 Laude mihi digni qui celebrentur erunt.

Vita duplex ad illud Plin. in Præf. lib. 20. Ignota ſunt homini per quæ viuat.

Non poſſis per quæ viuit cognoſcere corpus,
 Ni ſtirpes, volucres, noueris atque feras.
Per quæ mens viuit, poterit cognoſcere nemo:
 Ni ſtudeat mentis noſcere luce Deum.
Inter vtramque petis quæ ſint diſcrimina vitam?
 Illam ſcire dat: hanc credere conciliat.

Finis hominis noſſe & venerari Deum.

Non ſum natus homo, tantùm quo ſydera cernam,
 Vt quondam docuit priſcus Anaxagoras.
Sunt equidem faculæ, lumen quæ lumine produnt,
 Artificem veluti nobile prodit opus.
Sunt ſcalæ, celſam quibus euehar altus in ædem:
 Vt fruar aſpectu colloquióque Dei.
Neſciit hoc veterum tenebroſa caterua Sophorum:
 Lucida quod Chriſti ſcitque docetque ſchola.
Suſcipe me: Patríque tuo da, Nate, placere:
 Hoc da fine mihi viuere, dáque mori.

Pauci boni, multi mali.

Orbe boni curnam pauci numerantur in amplo?
 Pars facit & ſequitur maxima velle ſuum.
Cur verò multi cernuntur vbique maligni?
 Pars calcat pedibus maxima Velle Dei.

Vnus

Vnus Deus sapiens.

Hui! tantùm septem sapientes, Græcia, cùm tu
Doctrinâ claros innumeros numeres!
Non eadem res est sapientem ac esse scientem.
Hoc multis; paucis illud adesse solet.
Paucis? At potiùs dicam contingere nulli:
Vnus enim bonus est, est sapiénsque Deus.

Non est mercenaria pietas. Cognouit Bos possessorem suum, & Asinus præsepe Domini sui. Isaiæ 1.

Bos possessorem, præsepe agnoscit asellus:
Est hominum paucis noscere cura Deum.
Dignum laude tamen non est, si noscere numen
More velis asini, more velísque bouis.
Hos sanctus non tangit amor, sed venter: amore
Ne tangare tui fac, sed honore Dei.

Insani amoris ars nulla.

Dum præceptorem Naso te dicis amandi,
Erras: erroris namque magister eras.
Sanus amor quid sit, poterit nam dicere nemo
Cyprius amentem quem malus vrit amor.
Arte regi si forte furor ratione ve, possit,
Cæcus amor poterit tunc ratione regi.

Labes superbiæ.

Non foret in toto vultus speciosior orbe,
Hunc deformaret ni scabiosa cutis.
Ni tibi turparet væsana superbia mentem,
Credo equidem cunctis anteferendus eras.

Arithmetica infausta & fausta.

Adde nouas priscis culpas: sic culpa recenti
Iuncta vetus, facit vt sit numerare graue.

Deme, Deus, cunctas: restet si nulla, beabit
Quæ sit ad extremum Summa redacta Nihil.

Mellita non mellita:

Ne mellita putes, quæ sunt mellita, Palato
Dulcia, ventriculo tristia fella creant.
Fellea ne credas quæcunque putantur amara:
Iudicium non est mentis & oris idem.

Garrulitas temeraria.

Fine rotunda carent: finem fecisse loquendi
Non potes, es nullo fine scopóque loquax.
Inde loqui meritò mihi diceris ore rotundo,
Quæris, cur? Omni fine rotunda carent.
Hoc multi carpunt, ego te reor ore rotundo
Sæpe loqui: siquidem fine rotunda carent.

Temeraria temporis vltimi inuestigatio.

Quo sit momento fax cessatura culinæ
Non possis certò dicere parua tuæ.
Et tamen, ô cerebri vacuum caput! ausus es orbis
Expressis finem significare notis.
Est tibi par nullus, tu nulli. Nosse suprema
Qui petit, ille Deo se petit esse parem.

Apes regem suum quocunque sequentes.

Rex quocunque volat veniens vel fortè recedens,
Huic adsunt, præsto quæ comitentur apes.
Per quoscunq; locos fac te, Rex Christe, sequamu
Vt simus semper plebs adamata tibi.

Stulta longæuitatis spes.

Longa tibi vitæ speras fore tempora: namque
Vicinus longo tempore vixit, ais.

Ridicul

idiculè. Vicinus enim ſic deſiit alter
Viuere: Lucis vt huic ſit data ſumma breuis.
i ſpectas illum, cur non & reſpicis iſtum?
Ambo vicini namque fuere tui.
ıt te ne fallat vicinia, cerne remotum,
Quò tendas viuens commoriénſque, polum.

Ignorantia parens erroris.

ëra per vacuum pardos tygréſque vaganteis
Horreſcis, velut his præda voranda fores.
/ani cauſa metûs eſt ignorantia cæca.
Errorum ſiquidem dicitur eſſe parens.

Ad illud Vergilij, Nudus ara, ſere nudus.

Nudus arans nudúſque ſerens ſit cultor agelli:
Andini vatis ruſtica muſa iubet.
Vt ſanctum Chriſti ceu conuenit, excolat agrum,
Poſt Chriſtum nudum nudus arator eat,
Non ſementis erit laudatave meſſis, ab omni
Sarcinulâ liber ni vacuatus erit.
Ni faciat, Chriſti fiet non aptus aratro:
Ponè tuens debet cui dare nemo manum.
Impiger, eſuriens, ſitiens, per ſaxa, per ignes,
Inſequitor Chriſtum, per tumidúmque ſalum.
Cætera ſunt lolium: ſeges vnicus aurea Chriſtus:
Qui far eſt & ador, zeaque viuifica.

Ad illud D. Petri 2. cap. 2. Canis ad vomitum &c.

I. Quid Canis hîc immũdus agit? quid amica luto ſus
℞. Abſorbet repetens ille quod euomuit:
Iſta ſed in cœno ſe, quanquam lota, volutat.
Sic redit ad ſordes ſuſque caníſque ſuas:

Emergens vitiis caue ne mergaris iisdem.
Hoc non eſt hominis,ſed canis atque ſuis.

Ætatis humanæ fluxa varietas.

Hoc ſpeculo iuuenem Fayus ſe vidit,eodem
Idem ſe ſpeculo nunc videt eſſe ſenem.
Illi non idem vultus læuórque colórque:
Eſt ſpeculi læuor qui fuit,eſtque color.
Debilior fragili vitro,ſic aufugit ætas:
Non eadem manet hæc:permanet illud idem.

Ad illud Virgilij.Vitis vt arboribus decori eſt.

Vitis vt arboribus decori eſt,ſic apta marito
Eſt decori coniux:vitibus vua ſuis.
Coniugibus nati formâ & virtute decôri
Sunt decori:eſt Pietas ſed ſuper omne decus.

Plutus cæcus & oculatus: Ex Luciano.

Adproperat Plutus veniens ad tecta malorum:
Hoc celer & cæcus dicitur eſſe modo.
Nonnunquámque bonos,tardè licet,ille reuiſit:
Lynceus & Claudus ſic erit eſtque ſimul.

Vitæ humanæ ſors incerta.

Sortis humanæ ſpeculum tueri
Expetis?Campi ſpatio patente
Cernito lapſus leuium rotarum
Irrequietos
Per vices in ſe redeuntis orbis
Axe non moto radij feruntur,
Et modò currus tenet abſis ima,
Et modò ſumma.

Sunt

Sunt loco nunquam dociles manere:
Sunt ſoco ſemper faciles moueri:
Præpetes ſemper fugiunt eundo,
Séque ſequendo.
Lydiæ Crœſus dominator oræ,
Se nihil ſupra poſitum putabat:
Parte credebat fieri ſed omni
Séque beatum.
Temporis puncto ſuperante Cyro
Perdit illuſtris diadema regni,
Perdit & gazas numero carentes
Nudior Iro.
Fictiles fingens Agathoclis ollas
Dextra, fit ſceptris habilis gerendis,
Et luti ſordes rutilantis auri
Pondere mutat.
Rurſus eſt idem ſolio regali
Pulſus: & vitæ miſeranda tandem
Clauſtra ſortitus: ſolitâ tyrannis
Morte peremptus.
Si quis antiquæ monimenta chartæ
Addita charta relegat recente:
Mille ſignabit ſimili lapillo
Regia fata.
Ceſpitem parui tuguri videbit
Eſſe non parui dominantis ortu
Nobilem: contrà Pario nitentes
Marmore turres
Pauperem magnis genuiſſe tectis:
Sceptra cum raſtris variata: ſicque
Eſſe mortales ſimileis rotarum
Mobiliorum.

Nemo ſe vento nimiùm ſecundo
Efferat:vento nimiùm reſtante
Nemo deſperet:medium ſed inter
Seruet vtrumque.
Numinis vindex manus in ſuperbos
Imminet:preſſos releuat:beatus
Ille cui multùm fauet illa:gaudens
Sorte quieta.

Papauer. Docti gerunt ſemen in capite.

Docta gerat Pallas capitata papauera:namque
E cerebro fertur nata fuiſſe Iouis.
Palladiiſque viris(capitis quia ſemina ſpargunt,
Ingenij gignunt dum monimenta ſui)
Symbola ſint paſſim capitata papauera:cura
Parua ſit vt ventris,maxima ſed capitis.

De Monimentis lapideis à clariſſimo viro D. I.Grutero collectis.

Quid durabilius ſaxo?quid durius?Eſſe
Quid leuius chartâ debiliúſve poteſt?
Ecce tamen cedunt tenui duriſſima chartæ
Sculptorum priſcâ ſaxa recuſa manu:
Artifices iſtæc quondam poſuere periti,
Hanc ipſos,Pallas quæ facit artifices.
Deucalion ſpargens lapides animauit:at illos,
Mi Grutere,legens arte,perire vetas.

Sacræ Scripturæ arcana ſcrutari. Pruteni ſuccinum ex Oceano trahentes.

Heu,quantùm ſumunt operæ ſubeúntque pericli
Pruteni,vt promant ſuccina fulua mari!
Et vos(ô multùm cœlo dilecta iuuentus,
Numinis eſt cuius mens decorata metu)

In ſa-

In sacri nodos scripti sensúsque profundos
  Torpor iners (absit) vah! penetrare vetet?
Quin agitote boni: tenebris adiungite luces:
  Nec pigeat chartis inuigilare piis.
Attrahit electrum paleas: cœlestia dicta
  Tellure ex imâ vos super astra vehent.

Deus dat robur infirmis. Historia.

Altiiugi domus est in Iuræ vallibus imis,
  Contigit in qua res non malè digna legi.
Ter senos infans Lunæ qui viderat ortus,
  Ante focum (frigus namque vigebat) erat:
Ecce lupum væsana fames ex Alpe niuali
  Impulit in tenuis rustica tecta casæ:
Qui puerum sæuo complexus dente, paratam
  Visceribus prædam iam putat esse suis.
Huc verò mater tremebunda superuenit, ausu
  Et non fœmineo proxima ligna rapit.
Quid faceret? Fallente manu natúmne lupúmne
  Ne feriat dubitans, percutit illa feram.
Et repetita frequens iterat sic verbera, tandem
  Vt, puero illæso, sit lupus exanimis.
Hoc fit agente Deo; pueriles qui tegit annos:
  Fœmineámque manum qui facit Herculeam.

Ad illud D. Pauli, Quod seminas nō viuiscit, nisi mortuum fuerit. 1. Corinth. 15.

Triticeæ Cereris ni munera didita terræ
  Putruerint, frustra rura, colone, seris.
At si corrupto mutentur germine farra,
  Immensam segetem pinguis arista dabit.
Sic nisi nostra cinis fiant & corpora puluis,
  Æternùm claro lumine cassa manent.

Sin eadem morti soluantur debita,tandem
Consurgent medio splendidiora die.

Stulta admirationis affectatio ex Ouid. Metamorph.

Glauce,quid assiduè liquidis versaris in vndis?
Cur flumen domus est,& cibus herba tibi?
Naturæ moríque hominum contrarius,optas
Te populus mirans dictitet,Hic vir,hic est.
Mirari non est laudare.Popellus inepta
Miratur:laudant sed bona sola boni.

Eu[...]ice. *Christiano Martiali.Vita beata.*

Vitam quæ faciunt beatiorem,
Dilectissime Martialis,hæc sunt;
Veri notitiâ Dei suique,
Mens clarata,timens,amans colénsque
Notum pectore puriore numen:
Absistens procul à malo; bonóque
Hærens firmiter,adiuuare cunctos
Constans,atque volens obesse nulli:
Sanus corpore,sanus & cerebro:
Non torpere graui solens veterno:
Ast incumbere sedulus labori:
In commune bonum referre vota:
Recti iudicij regente norma:
Gnarus mœstitiæ metu vacare,
Grandi & lætitiæ carere motu.
Et non sorte nimis tumere latâ:
Et non sorte nimis leui retundi:
Quicquid contigerit,Deo volenti
Se summittere,siue læta flarit,
Illætabilis aura seu reflarit.

Non

Non desiderio metûve fati
Suspensus pauidas videre luces:
Expectare diem volens supremum
Sanctis carcere liberis ab atro
Semper lucida dona redditurum.
Sic viuens erit hoc in orbe fœlix,
Fœlicissimus altero futurus.

Ad illud Archimedis, Da vbi pedem figam, mouebo terram.

Iactitat Archimedes terram se posse mouere,
Sicubi donetur figere posse pedem.
Id verò vt fieret non vsquam comperit: ergo
Archimedi semper firma remansit humus.
Quî fiat, dicam. Cœlo mentémque pedémque
Fige: loco poteris sicque mouere solum.

Deus mentis nostræ lux.

Quid mediis oculos tenebris aperire laboras?
Nil oculus piceâ cernere nocte valet.
Nam radius nostro manans à lumine, si non
Cum Solis radiis iunctus & vnus erit:
Non poteris rerum facies, rerúmve colores
(Sint licèt admoti sensibus) adspicere.
Sic tu diuini vacuus qui luminis, audes
Aulæ cœlestis carpere solus iter.
Vsque licèt palpes, caligine tectus opacâ,
In præceps cæcum te malus error aget.
Cúmque tuo ipse suum nisi iungat lumine lumen
Luciparens, nullo lumine lætus eris.

Narcissus, ex Theophilo Symochato. φιλαυτία.

In placido dum fonte bibit Narcissus, in vnda
Se videt, & formam deperit ipse suam.

Aſt elephas, ne ſe videat, dum flumina ſorbet,
  Exagitat placidas & pede turbat aquas.
Narciſſo minor eſt prudentia, quàm tibi, Barre,
  Tu tibi nil: nimiùm ſed placet ille ſibi.

De vafro Iuris cauillatore.

Te iuris vocitas palàm peritum:
Te legum velut alterum parentem,
Iactas cuncta tuo ſinu tenere,
Prudentum veterum notata chartis,
Nec non Cæſaribus ſtatuta priſcis:
Te nodos, apices, vafros cauillos
Subtiléſque plagas fori doloſi,
Ceu dextræ digitos notaſſe dicis.
O ſi iuſtitiæ peritus eſſes!

Cornicula Æſopica. Homo mortalis.

Ornamenta gerens cornix aliena, ſuperbit:
  Omnibus his riſum ſed ſpoliata dabit.
Cornici ſimiles mortales dicimur omnes,
  Viuentes quos non propria dona tegunt.
Sed cùm mors aderit, cunctis nudabimur, eheu!
  Orbati, quæ non noſtra fuere, bonis.

Sanctè ſumendus cibus.

A COLO ſi veteres Latij dixere Culinam,
  Ignis vbi cultus cultaque Veſta foret:
Tu quoties limen contingis cunque culinæ
  Vt veſcare cibo, Numinis eſto memor.
Viſceribúſque dapes aptas & ſuggere menti,
  Et largitori da pia vota Deo.

Cibi mundi & immundi. Mores boni & mali.

Quadrupedum volucrúmque caro non arcet Olym-
Impuro verùm quæ caro corde latet. (po,
Vllum nec ſcelus eſt in viſcera viſcera condi:
Hoc Samiis ſit fas linquere diſcipulis.
Ne piſces lauda, gula quos adamabat Apicii.
Sanctè piſcantum fac imitere viam.

In eandem ſententiam.
Ex Iſychio in Leuitic.

Sunt bona cuncta Deo quæcunque fuere creata:
Nonnullis veſci cur fuit ergo nefas?
Viſceribus veſci porcinis turpe negatur:
Eſt ſed porcino viuere turpe modo.

De ingratis bene mereri, exemplo Dei, qui mortalibus omnibus ingratis benefacere non deſiſtit.

Ingratis, fateor, durum ſeruire: ſed ingens
Fortiter eſt animi ſe ſuperantis opus.
Dat Deus ingratis facit & bene cuncta: pigebit
Hac imitari te conditione Deum?

Fraus mala Dauidis. Fraus bona Nathanis.

Hoſtes fraude bonâ Dauid ſuperauit & armis,
Decepit ſeſe fraude ſed ipſe malâ.
Fraude, SINON Graius qualem nõ repperit vnquã:
Bethſabæ tegeret qua ſcelus atque ſuum.
Hinc qui fraudarat mentis ſe pace quieta,
Turbidius fluctu cor tulit Oceani:
Donec fraude bonâ Nathan ſanare Dauidem
Accelerans, morbum detegit atque fugat.
Inde cor, antè fuit coruo quod nigrius atro,
Eſt cygnis factum candidiúſque niue.

Cor cum corde ſuo quod conſentire profeſſus
Eſt Deus. O fœlix numine teſte Dauid!
Qui letho ereptum vitæ te reddidit, vt quàm
Lubricá peccati ſit via condoceas.
Condoceáſque Deus quàm ſit releuare paratus,
Syncerè quibus eſt pœnituiſſe datum.

Contra illud Ouidij, Perdere verba leue eſt.

Perdere verba leue eſt, vates Pelignus vt inquit:
Verba loqui leuiter dico ſed eſſe graue.
Nàm leuiter vanis qui perdit tempora verbis;
Perdit quod pretio pendere nemo poteſt.

Ad Pſal. 129. Supra dorſum meum arauerunt arantes.

Eſt quando terram vomer proſcindit aratri:
Et tellus, quando feſſa quieſcat, habet.
Sanctorum ferrum figunt in dorſa tyranni:
At venit his tandem numine dante quies.
Chriſtiadæ, primis hoc vos ſenſiſtis ab annis;
Sanguine dum veſtro multa maderet humus.
Plurima tunc veſtro ſurrexit meſſis in aruo:
Frugibus & multis area plena fuit.
At ſcelerata cohors, defuncta furoribus atris,
Aruit, vt tuguri ceſpitis herba leuis.
Sanctorum viuax omnes eſt fructus in annos:
At ſtipulæ videas more perire malos.

Ex Ezechielis 16. cap.

Prodigioſorum curnam ſentina malorum,
Turpis & illuuies facta Sodoma fuit?
Diues opum fuerat, fœcundi diues & agri:
Aduenítque nimis ciuibus alta quies.

Lubrica res eſt pax & rerum copia, ſi non
Vtaris recto legitimóque modo.

Campanæ delitiæ. Ad illud Lucij Flori, Capuæ certamen erat Cereri & Baccho.

Et Cereri & Baccho Capuæ certamen in oris
De magna frugum fertilitate fuit.
In dubiis manſit victoria lancibus, vtrùm
Sit ſegetis maior copia, ſitne meri.
At ridens Erycina, Ceres contendere noli:
Noli Liber, ait: lis erit iſta breuis.
Otia ſuccedent, riſus & gaudia, mollis
Segnities, flammis eſca, Cupido, tuis.
At labor & vigiles curæ procul omnibus ibunt,
Vt per campanos Cypria regnet agros.
Id ſenſit Pœnus miles, quem Marte furentem
Liber & ipſa Ceres & Venus edomuit.
Si ſileat primus, ſi ſit taciturna ſecunda,
Tertia ſomnifero victa ſopore cadet.

Deum nihil latet, ad quendam Anatomicum præſtantem.

Pectoris humani facta à te eſt ſectio multa,
Pectoris at facta eſt ſectio nulla tui.
Hinc tu multorum noſti quid pectus haberet:
Quid gereres nouit pectore nemo tuo.
At ſi fortè tibi pectus poſt fata ſecetur,
Illo detectum tempore pectus erit.
Verùm quicquid eris viuus moriénſque, videntem
Omnia, ne ſperes poſſe latere Deum.

Veritas à curſu ſuo nequit inhiberi.

Nemo queat ſolem retro reuocare meantem,
Oceani poſtquàm manè reliquit aquas.

Cours du Soleil ne se peut empescher.

Exortam retrò veri qui vertere tentat
Lampada, quod nemo fecerit ille cupit.

Solem sequi. Deo praeeunti parere.

Sol si præcedit, sequitúrque viator euntem,
Incœptum fœlix conficietur iter.
Incertæ sed fortè viæ se tradere præceps
Qui properat, damno est proximus ille suo.
Numinis auditæ voci qui commodat aurem,
Seu vocet, aut reuocet, fine beatus erit.

Γλυκύπικρον.

Asparagus mensis non est incognitus, & non
Ingratus: spinis pungit at ille tamen.
Est coniux dulcis, natis nil dulcius: atqui
His solet esse comes cura grauísque labor.

Reste sublatus sceleratus.

Infaustâ moriens cur pendet ab arbore Furuus,
Factus momento litera longa breui?
Ignibus ac vndis erat interdictus, ob ídque
Ignibus ac vndis non quijt ille mori.
Huic nec erat tellus: solus sed restitit aër:
Aëre sublato Cannabis vna fuit.

Ad votum D. Augustini optantis D. Pauli se auditorem fieri.

Optares Pauli seclo vixisse, simúlque
Præconis velles voce beante frui.
At tu multa potes Paulum post secla tueri,
Dicentémque oculis sistere rite tuis.
Perlege quæ cœlis oracula didita Paulo,
Non vllo viuunt interitura die.

Illic

Illic magnanimum pectus pietatis amore
Spirat, inextincto Paulus & igne calet.
Calcantem datur hîc Paulum tibi cernere mundi
Casus, & fastus, delitias & opes:
Hunc inopem, nudum, gladióque faméque petitum:
Luctantem durâ cum cruce, cúmque nece.
Demissi videas Pauli mitissima corda:
Quæ superant matris pectora sancta piæ.
Infirmis infirmus, & omnibus omnia factus,
Et sitiit, cunctos & tulit ille sinu.
Nil præter Christum nouit, cupit, optat, anhelat:
Christus ei totum: cætera cuncta nihil.
Hæc viuis cùm sint in Pauli clara tabellis,
Assuescas Paulo cum propiore loqui.

Vita humana nauigatio.

Quæ fertur rapido carina cursu,
Humanæ speciem fugacitatis
Cunctis exhibet. Illa namque nauis
Motu continuo volat, petítque
Portum propositum quiete nullâ:
Quem tandem simul ac tenet, quiescit.
At quos illa vehit viros carina,
Non vno studio tenentur omneis:
Horum namque suum placet cuique.
Multo sic homines aguntur æstu
Curarum: numero potest nec vllus
Harum multiplices loqui figuras.
At dum sic variè trahunt trahuntúrque
Insanis animi vagi procellis,
Cymbâ corporeâ cadente sensim
Ad mortem rapiuntur inquieti.

Epicuræi recta ratione destituti. ex Lucretij ridicul syllogismo.

Demonstrant oculi mentem, ceu dicitur: Ergo
Effossis oculis mens fit aperta magis.
Orbes namque caui fient geminata fenestra:
Qua quæ mente latent lucidiora patent.
Scilicet, hac vsus pulchrâ ratione, Lucreti,
Effossos oculos prodis adesse tibi.
Quámque Epicurus sit cæcus, vanúsque vagúsque,
Vel ratione carens luce bonaque, doces.

Equus Seianius.

Fatorum non causa fuit Seianius ille
Multorum casu nobilitatus equus.
Nam mala fata mali soboles sunt, fac bene: túmque
Tristia non venient fata timenda tibi.

Mergus auis aquatilis.

Est qui delitiis mersos mihi conferat: atqui
Immeritæ labis me ferit ille notâ.
Mergor aquis: fateor. Non luxuriosa voluptas
Sed cibus & potus quæritur inde mihi.
Si quis id inuideat, dapibus vescatur iisdem,
Carpere delitias desinet ille meas.

Deus & Sol.

Te videam, vel non: admiror Phœbe, tuúmque
Os videam, vel non: lumine cerno tuo.
Méque Dei meminisse iubes: pupilla videre
Quem nequit: at per eum, quod videt omne, videt

Achilles lachrymans apud Homerum. Bona indoles

Iratum & flentem cur fingit Homerus Achillem?
Hæc non censentur nam bene stare simul.

Duru

Durus amor subitas accenderat illius iras:
  Quas oculis fusæ copia mersit aquæ.
Adde quòd, ex facili lachrymas plerumque cadentes
  Laudatæ narrant indolis esse notam.

Mala non à Deo, sed à nostris peccatis.

Qui dolor excoctos tibi lancinat acrior artus,
  Venarum cæco carcere clausus erat.
Putris ibi succus non vno fonte coegit,
  Morbificam longo tempore materiem.
Obrutus inde calor naturæ blandior hospes,
  Mutatus tandem degener hostis abit.
Acrior inde vapor surgens & corpore sparsus,
  Æstum visceribus concitat in mediis.
Æstum quem docto medicus non procreat vsu:
  Elicit in summam sed bonus arte cutim.
Te quoque qui cingunt non vnâ parte dolores,
  Autori caueas attribuisse Deo.
Nostri cæcus amor (nomen si nomen amoris,
  Hostem qui facie celat habere potest)
Nos affigit humi, cœlo deturbat, & acreis
  Accendit flammas impete præcipiti.
Hinc cupiũt animi, metuunt, gaudéntque, doléntq;,
  Et nunquam dubiis est mora vel requies.
Causa mali nostris hæc hæret tota medullis,
  Vnde fluit qui nos vrit agitque labor.
At Pater, ô opifex omni sublimior arte:
  Hæc mala (namque potes) proiice, quæso, foras.

Satan Leo quærens quem deuoret. 1. Petri.

Caute Leo, dum tu sinuoso verbere caudæ
  Blandiris, sæuus mox rapis atque necas.
Sic Satanas fallens mulcet mortalibus aures,
  Quos malus æternâ perdere morte parat.

Diues sordidus & auarus.

Quid tibi cum gemmis turpissima simia? quanquam
Humanos artus fueris mentita, cerebri
Nil tamen est sani ridendo in corpore, rerum
Nec pretiosarum potis es dignoscere formas,
Non magè quàm tardus pandæ ceruicis asellus
Aurea quæ gestat nequeat nouisse talenta.
Talis es, ô quisquis fluxa lætaris opum vi.
Internis opibus cassus verísque bonísque.

Sancta sanctè excipienda.

Adueniens multis Autumnus turgidus vuis,
Lenta ex vite tibi dulcia musta dabit.
Seria sed mustum si fœtida ceperit, hinc nil
Quod te delectet vel iuuet accipies.
Hoc propone tibi succum de palmite Christi
Vitalem quisquis sumere rite cupis.
Sanctè sancta loca: vitalia gaudia sumes.
Sin alter, lethi tristia damna feres.

Ira. Vipera.

Iram quæ calido creata corde
Vrit cor rabidum, cui putarim
Dici posse parem petis? propinquat
Proli vipereæ necare promptæ
A qua prodiit, vt ferunt, parentem.

Purum vel nubilum cœlum: Ad illud Hippocratis ὁ νότος νωθρὸς καὶ βαρύκοος. Mens pura vel impura.

Vna quidem est, qua nos mortales vescimur, aura;
Vna tamen variis mutatur motibus, vt si

A nitid

A nitido veniens Boreas hanc axe ſerenet,
Lucidior venas ſubeat tum ſpiritus. At cùm
Aduerſa reflans Auſter de parte,refundit
Humoris multo nigrantes pondere nubes:
Tum grauis incumbit moles,qua ſenſus hebeſcit
Languidior,qui vix ſua munera nouit & vſus.
Haud aliter,menti cœli ſi ſpiritus aufert
Squalorem,tum pura nitet:nec dæmonis artes
Formidat dilecta Deo:ſin fortè pudendo
Icta malo,fœdos erroris ſumpſerit hauſtus,
Obruitur,multa vitiorum mortua mole.

Hypocritica demiſſio. Hieronymus ad Euſtochium.

Eſſe quid hoc dicam,quod te culpare ſueſcis?
Deprimis & laudes ingeniúmque tuum?
Demittit ſeſe non verè,Maxime,ſemper
Demittit crebrò qui ſua ſéque nimis.

Contra illud Homeri Iliad.ξ Οἵηπερ φυλλῶν γενεὴ, τοιήδε καὶ ἀνδρῶν.

Quod ſimiles foliis homines cantauit Homerus,
(Parcite Pierides,parcat Apollo mihi)
Hoc nego:Nam foliis ſua ſunt ſtata tempora,certis
Vt ſpatiis maneant,vt ſpatiiſque cadant.
Aſt vnum ſtandi tempus,tempúſque cadendi,
Humano generi lex rata nulla dedit:
Hinc æſtate cadunt mortales,frigore,Vere,
Autumno. Quouis tempore Parca metit.

Vbi pluit aurum,ibi pluit vitium.

Cur vitij,magnas,labéſque luéſque,per vrbes
Exundat,quas vix oppida parua ſciunt?

Regnat iniquus ibi Mammon:pluit aureus imber:
Quæ vitam vitiis ac alimenta parant.
Ast hîc,angustis rebus dominatur egestas,
Cui comes est virtus sollicitúsque labor.

Quis Christi membrum.

Corporeæ minimè donatur nomine partis
Humanum quicquid claudit habétque δέμας.
Corporis at demùm verè pars illa vocatur,
Quam vires,necnon actio recta probat.
Nec membrum Christi de corpore dicitur ille,
Quisquis in externa dicitur esse cute.
Ille sed est sanctè,Christum qui concipit intra
Pectora:quod totus voce manúque probat.

Pietas & meditatio rerum diuinarum.

Natiui guttam minimè pressabis oliui,
Ni sit Athenææ planta dicata deæ.
Nec sine vase queas oleum deferre,quod ipsum
Si desit:lux in lampade nulla manet.
Et pietas nisi sit,frustra mens concipit illa,
Quæ Deus à nobis vult sibi cunque dari.
Rursus & assiduè nisi mens cœlestia tractet,
Cæcutit:lucis fomitibusque caret.

Hypocritica blandiloquentia cauenda.

Vt de gemmata fugias decerpere lance
Ambrosiæ suauem quantumlibet indigus escam,
Interfusa cui videas aconita,maligno
Humanæ lucem vitæ perimentia succo:
Sic caue mellitis præstes sermonibus aurem,
Quos simulata malæ spargit contagio linguæ,
Incautos siquidem ceu Lulida toxica perdunt.

Verbi

Verbi diuini sensus. Ex Gregorio Romano.

Ecce tibi, quales ex auro ponit eodem
  Eximiæ varias Dædalus artis opes.
Cælatum mensis calicem parat: annulus inde
  Cuditur: armillis nec locus aptus abest.
Sic varios sacrum verbum, purgatius auro,
  Admittit sensus, si modò rite legas.
Non equidem ceræ vertas vt mollis adinstar,
  Quæ retinet nullo signa modumve typo.
Sed quia multiplici gazâ sunt scrinia plena,
  Cœlestes claudunt quæ referantque sonos:
Hinc meritò lato sunt illa simillima Ponto:
  Nam lauat hîc agnus, barrus ibique natat.

Nil purum impuris.

Vt maculosus agens per gramina cursitat anguis,
Nec capit ore dapes roseas, quas florea passim
Fundit humus, vitæ succum factura salubrem:
Lethifici carpit sed dente flagella napelli,
Aut aconita legit, vel ephemera Colchica mandit.
Vt ter luctifica saturatus peste maligno
Ore vomat miseris tristes mortalibus haustus:
Sic quibus improbior mentem natura animúmque
Infecit vitiis, puro nil pectore purum
Accipiunt: purum nil ore manúque retractant:
Sed vitium vitiis & sordes sordibus addit.
Donec longa dies completo criminis orbe
Æternam indiderit labem, quam plurimus arte
Non tollet monitor, nec legum prouida cura.

In aduersis à Dei prouidentia pendendum.

Quid tibi vis? ten' præcipitem susdeque moueri?

Ten' animi dubium nullâ consistere sede?
Tranquillæ non te noctis bona præmia nosse?
Non lucis? Sed siste, precor: mecúmque parumper
Aspice iactatos nautas vndante Lemano,
Fluctibus ac fremitu sonitus imitante marinos.
Ecce furens gelido Boreas à vertice fractos
Conglomerat fluctus, & tristia quæque minatur.
Quid verò nautæ stantes in puppe? Frequenti
Voce Deum rogitant, vt nubila tanta serenet.
Tum clauum firmant, & mittitur anchora: sicque
Immoti expectant fera dum desæuiat vnda.
Nautarum disce exemplo, quemcunque repente
Terribilis rerum facies circumdat, inanis
Ne trepidum metus huc animum vel diuidat illuc,
In partésque trahat varias malè credula cœlo
Mens vaga: quin votis orando flectere numen
Sollicitis conare: dehinc quòd præbet agendum
Muneris vna tui ratio, fac impiger: & tum
Quem dabit euentum Deus, expectare quietâ
Mente velis. Sanctis fœliciter omnia cedunt.

Hominis & arundinis comparatio. Ex D. Basilio.

En tibi, cur homini similis dicatur arundo:
Quámque pari sint hæc conditione vide.
Mobilius nihil est cunctis in stirpibus illâ:
Hic nil non superat mobilitate suâ.
Vicinas quatit illa suis impulsa flagellis:
Hic aliis malus est, non bonus ipse sibi.
Limosas circum crebrescit arundo paludes:
Vanus homo putri mergitur ipse luto.
A radice suâ sed si vellatur arundo,
Atque nitens scalpro fiat acuta nouo.

In Scribæ fiet dextra currente periti
  Ad ſcribenda Dei dogmata ſancta ſtylus.
Sic veteris propriâ radice reuulſus Adami,
  Semine cœleſti ſi renouetur Adam,
Deſinet eſſe priùs triſti quod traxit ab ortu,
  Progenies ſancti fiet & ille Patris.
Pectore condentur tunc dogmata ſancta recenti,
  Queis homo ſcribendis charta fit atque manus.

Lata via ducit ad exitium.

Hæc quæ prata vides virore multo
Et florum vario decore picta,
Dum læto capiunt odore nares,
Dum grato retinent colore ocellos,
Sontes carceris ad tremenda nigri
Ducunt vincla:quibus gemant recluſi.
Sic quos proſperiore cernis aurâ
Incautos pelago patente ferri:
In Syrteis properè coorta vaſtas
Triſti pernicie procella trudit.

Animæ ſalutem potiùs quàm naturam quærere. 

Quis Sophiæ proceres pleno non rideat ore?
Diſcutiunt animæ longis ambagibus ortum:
Quo ſit nata modo:quà ſit cum corpore lege
Hoſpes,& hoſpitium quàm firmo glutine conſtet.
Dementes! dum ſollicitè ſic omnia librant:
Quod caput eſt linquunt. Nam quo poſt fata volatu
Exeat, Ambroſiæne dapes aut Gorgonis angues
Sit viſura,nimis ſecuri temnere pergunt.
At tu nectatur quónam cum corpore nodo
Linque Deo, (nec enim mortali noſcere fas eſt)
Sedibus ætherijs aſt vt ſuſcepta quieſcat

✱ Cedat curiositas fidei,
gloria saluti.

Non cessaturi perdurans incola regni
Hoc vigil adcurans noctésque diésque labora.

Ad illud, Estote integri, sicut Pater vester cœlestis est integer. Matth. 6.

Quî possis soboles summi lectissima Patris
Ostendi, magnâ cum ratione petis.
Anchora non fallax nam re consistit in vnâ,
Quòd Patrem nobis detur habere Deum.
Cuncta scit & nouit, regit haud obnoxius vllis
Motibus: est idem semper vbique potens.
Hæc caue posse putes imitari puluis & vmbra:
Sunt humili potiùs suspicienda tibi.
Sed mansueta Deo sunt viscera: sanctus & omni
A vitij longe labe remotus agit.
Exemplis sic ille suis te suscitat, vt sis
Mansuetus, vitij sorde caréńsque mali.
Sic eris excelsi soboles lectissima Patris,
Si tibi sit sanctum cura referre Patrem.

Turtur tessera laudatißimi connubij. Gabrielæ Luleriæ optimæ coniugi.

Qui sedet aëriâ cum compare turtur in vlmo,
Est fidi præsens tessera connubij.
Hos natura pares coniungit fœdere certo:
Nec vagus vt reliquas ardor adurit aues.
Alter in alterius viuens est lumine: contrà est
Funere tabescens alter in alterius.
Nonne tibi primos, Coniux dilecta, Hymenæos,
In mentem nostros casta reducit auis?
Non Paphiæ fumis, fucísque dolísque petulcæ
In nostros venit flamma vocata sinus.

Nec

Nec Gazis nostros vinxit Saturnia sensus:
  Candidus & simplex sed religauit amor.
Purus amor, syncerus amor, comitante pudore
  Nexuit, & pietas pronuba nostra fuit.
Sorte pares, sine labe leues transmittimus annos,
  Inuidiâ, rixis, ambitione procul.
Cura fuit cunctis prodesse: nocere nec vlli:
  Viribus & nostris non potiora sequi.
Sat scio quòd tibi sum vitali charior aurâ,
  Et scis quòd vitâ tu mihi chara magis.
Quod superest æui, sanctè peragamus amantes:
  Et sit noster amor curáque tota Deus.
Sic ambobus erit lux, vita, iugúmque suaue:
  Vna erit ambobus certa reposta salus.

Ad illud Lucret. In melle sita suffocabantur.

Condebant olim moribunda cadauera melle:
  Mors tamen illis non dulcior inde fuit.
At nos vt mortem non experiamur amaram,
  Aloë & myrrhâ, Christe, perunge, tuâ.

Turbis plena omnia.

An mirum, tristem si turbat Aquarius annum?
  Sunt turbata modis omnia mirificis.
Publica sunt nec non turbata domestica: turbas
  Aër, terra, fretum sustinet innumeras.
Vrbes turbantur: passim turbantur & agri:
  Et præter turbas nil reperire datur.
In tantis & tot, nutant quibus omnia, turbis,
  Christe, salus fias, anchora, páxque mihi.
Tunc non turbabor, fracto si sydera cœlo
  In pelagi scopulos præcipitata ruant.
Nec mea me virtus miserum firmabit, at vno
  Te clypeo tectus, Christe, quietus ero.

Alexander vetuit se pingi nisi ab Apelle. Fœlix qui gloriæ Dei celebrandæ operam dat.

Se pingi vetuit rex Macedo, nisi
Coi pingeret hunc artificis manus,
Qua pingente Venus pulchrior extitit.
  An verò sibi plus rex decoris tulit,
Cunctis præpositæ quàm manui dedit?
Est pictor variis auctus honoribus:
At cepit iuuenis rex minimum decus.
Sic tu, summe Pater, dum petis vt sonis
Te sanctum celebrem quottidiè meis,
Nil hinc consequeris: quin tua detero
Stridenti calamo facta perennia,
Nullis ingenij dum cano viribus.
At me, me nihili, me nihili lutum
Circumdas vario lumine gloriæ,
Dum vis vt mea vox & comes huic manus
Te sanctum resonet laudibus editis.
O me cœlicolûm cœtibus additum,
Dum cantare Deum te studeo meum!
  Non ingrata, precor, sint mea carmina:
Quamuis exiguo fonte cadentia,
Quæ mens officij fert studiosior.

Hymnus ἐπίμικτος *Deo O. M. Ad Psalmum* 148.

Euphratæ lati, rapidíque ad Tygridis vndas,
  Finibus à patrijs Israel exul erat.
Hic Solymæ templo, dum staret, cantica nota
  Imperio iussus dicere barbarico,
Abnuit. Ecquis enim, cœlóque solóque nefando,
  Auribus impuris carmina sacra daret?

Ast

Aſt VRAE Rhodaníque leues ego ſtratus ad oras,
 Pons vbi Cluſinis Cantius Allobroges
Copulat; hæc Patri qui nobis otia fecit,
 (Otia torporis non temeranda lue)
Mente, melos varium, minimè variante, canendo,
 Vitali recreor numinis alloquio.

Alme Deus, ſanctá quem maieſtate verendum,
Ignis & auratis reſplendens gloria pennis
Anteit: in laudes cuius diffunditur omnis
Machina, laude licèt ſis omni maior, & omni
Eloquio; talis noſtram dementia mentem
Non capit, vt ſperem paruo me pectore numen
Claudere poſſe tuum: poſſit quod præhēdere nemo.
 Sat verò fuerit veſtigia ſumma ſequuto,
Exiles vmbras operum ſignare tuorum.

Tu polos præſtans geminos creaſti:
Fulcra quò cœlo minimè deeſſent
Mobili ſemper, variante nunquam
 Lege locóque.
Syderum lapſus varios & ortus
Arte, (quam ſolers hominum ſagáxque
Non capit ſenſus) regis, & decoro
 Cingis amictu.
Tu parens rerum, geminos paraſti
Lumini currus, celeri volatu
Per plagas omnes requiete nulla
 Orbis euntes.
Sol diem defert, gerit ima noctem:
Luna, per menſes properantis anni,
Et leues ducit choreas reuertens
 Ordine certo.
Hinc hyems agros glacie, virore

Ver nouum veſtit,recoquente Cancro
Aureas meſſes,bona dum rubentes
Libra dat vuas.
Ætheris blandos generas calores;
Vita queis toti venit alma mundo:
Aëris campos liquidi,fluenta
Ducis & vndæ.
Te patrem tellus vocat,& potenti
Dexterâ ſe ſcit medio locatam
Orbe:quò nuſquam quatiatur vllis
Viribus acta.
Illius clauſos reſeras meatus,
Stirpibus cunctis venit inde viuax
Humor,& ſeſe Zephyri reſoluit
Gleba tepore.

Colles pampineis vitibus obſiti,
Indi lætitia percelebres patris,
Apricis ſoliti ſolibus excoqui,
Summo ferte Deo quale petit decus:
Cuius cuncta vigent munere viuido.

Montes perpetuâ qui niue candidi,
Et cryſtalligenis rupibus aſperi,
Horretis Boreæ flatibus algidis,
Eia ferte Deo cantica:nam gelu
Oſtendit validæ robora dexteræ.

Montes aëriis nubibus additi,
Non vllis hominum(nil quibus auium)
Aſſueti pedibus,vix penetrabiles
Ipſis montigenis hoſpitibus feris,
Dum ſublime caput conditis æthere,
Laudes ætherei tollite Iehouæ,
Frænantis valido robore dexteræ
Nubes arbitrij temperie ſui.

Montes, mille greges cornigerûm boum
Qui paſtos alitis per iuga pinguia,
Plenis vberibus nectare lacteo:
Paſtorum dominum tollite laudibus
Præbentem pecori gramina commoda.

Valles contiguæ montibus herbidis,
Lympharum veluti dote perennium,
Et roris fluido ſumine fertiles,
Facturæ innumerum lanigerum pecus,
Laudes munifico pſallite numini.

Saltus, ſylua, nemus, quicquid & arborum,
Florum quicquid & eſt, omnéque ſtirpium,
Seu notum fuerit, ſeu minimè, genus;
Florenti Iehouam carmine pangite.

Impaſtæ, faturæ, ſoliuagæ feræ,
Aſſuetæ ſtabulis, quæque per aëra
Alæ præcipitis remigio volant,
Vndarum liquidas quæque ſecant vias
Vnà compoſitis vndique vocibus,
Sanctæ ferte Deo cantica gloriæ.

Et tu, cæruleo fluore lætos
Inuitans oculos, trahénſque lapſu
Aures & ſtrepero meas ſuſurro:
Qui celſa veniens ab Alpe, nuſquam
Siſtis, donec aquis tuis vetuſtam
(A quâ nomen habes) Rhodam ſalutes:
Non fluxam cane gloriam potentis,
Qui terras & aquas ligat, parentis.

Paruis, VRA, cadens rapax ſcatebris,
Et valles nemoris lauans propinqui,
Dans vrſis & apris ſiti leuamen

Nonnunquam Rhodani fluenta tardans
Dum cursu nimiùm furis tumente:
Nonnunquam propriis carens & vndis;
Illum qui rapidis perennitatem
Largitur fluuiis perenne lauda.

Non sunt verba, nec est loquela vobis,
Non mens, non ratio, notare docta
Quæ prudens pietas videt, notátque:
Sed cùm pergit agens obire munus
Vnum quodque suum, libénsque paret
Iustis imperiis heri supremi
Perscriptásque tenet vias vicésque
Immotâ positas cuique lege:
Tunc quicquid tegitur polo micante,
Tunc quicquid geritur solo patente,
Et quicquid latitat mari profundo,
Numen concelebrat, canitque summum:
Cuius cuncta manu manent vigentque:
Cuius robore stant caduntque cuncta:
Et cuius sapiens amussis omnes
Aptè dispositos regit recessus,
Supremis positos plagis vel imis.

Sed quid sensibus extimis
Tantùm persequor obuia?
Eia mens, tibi credita
Largè munera ne sile:
Quæ non auribus accipi,
Cerni non oculis queunt:
Sola sed face luminis
Interni, radius velut
Cùm reflexus eò redit,
Primos vnde trahens suæ

Fontes

Fontes ducit originis.
Dic te cœlitus editam:
Dic te ſpiritibus parem
Addendámque piis: Deum
Natam noſſe: perennibus
Donandam superûm boni:
Te cœli ſuperas domos;
Latos aëris & lares;
Altos Oceani ſinus;
Terræ multifidas plagas;
Luſtrantem citiùs Noti
Alis diffugientibus:
Immotique typum Dei
Geſtantem: indocilem pati
Feſſi incommoda corporis;
Moti robore non ſuo:
Te raſæ tabulæ æmulam:
Nullis illita quæ notis,
Nullas non recipit notas.
Nec verò memorem tace
Theſaurum tibi ditum,
In quem, quæ cupis ingeris:
Ex quo, quæ cupis eruis.
Hinc præſentia iungere
Ventris potes, & dies
Lapſos nectere fas tibi:
Vt, ſeu verba loqui libet,
Seu quid conſilio aggredi,
Libres pondera ſingula,
Res prudens & agas tuas.
Hæc tecum reputans ſimul
Eia mens mea tollere
Orbes in ſuperos leuis

Et terrâ procul exili,
Fundens angelicum melos
Vni Spirituum Patri.

Ergo tota silens quod magni machina mundi
Prædicat, ore loquens hoc parui machina præstet.
Ergo lingua, sonos in laudes exere celsi
Nostra Dei. Gestat magni compendia nostrum
Quisque orbis: magno paruum conamine niti
Nil vetat. Est nobis cœlesti ab origine flamma,
Cui superare datur supremos motibus axes.
Ignotum sed enim quis laudet amétve? Quis autem
Nosse Deum possit, sibi qui cognoscitur vni?
Nescius est metæ quam dat tempúsque locúsque:
At paruo clausi nos limite viuimus: ergo
Mens hominũ quod fine caret, quî prehendere pos- (sit?
Aspicito Phœbi lucentem lampada, talem
Esse putas, qualem nostris se sensibus inserti?
Falleris. Est vasti spatium mirabile Solis,
Sesquipedem qui vix oculis æquare videtur.
More tamen modulóque suo mens nostra capessit
Quicquid ei sensus ceu præsens nuntius, offert.
Haud aliter, quàm cùm speculo fortasse propinquas
Non te, sed tua se tantùm dat imago videndam.
Reddentem tibi te vitreo læuore reflexum:
Finitè capimus numen sine fine supremum:
Immenso canimus laudes & carmina nostris
Edita mensuris, numerísque coërcita certis.
Namque opus artificem quanquam demonstrat & artem,
Par opus artifici nunquam tamen extitit: inde
Obscuræ veluti per rimam nubis apertam
Exiguum Lunæ ceu punctum cernis euntis,

Aut veluti Phœbi ſplendorem piſcis in vndis
Aſpicit, ignarus ſolis cœlique ſupremi.
Sic numen ſummum per ſymbola noſcimus, altis
Quæque micant cœlis & quæ tellure notantur.
Noſcimus at melius qualem ſe codice ſacro
Exhibet: affatu dum nos dignatur amico.
Inuia namque Dei monitu via cernitur illo.
Quod facimus, faciamus, agite, ô mens, linguáque: iunctis
Viribus atque operis numen celebremus, & omnes
Corporis atque animi neruos tendamus, vt aptæ
Ceu fidibus citharæ totum cantemus in æuum,
Felix, cui calamo contingit & ore frequenti,
Collaudare Deum: nam viuimus illius ergò.
Quantùm animi viréſque valent encomia magni
Numinis, ô cuncti paſſim celebremus ouantes.

Ex Syluis A. FAYI *ſelectæ:*
I. De Sole.

NAſcere, Sol, vegeto, recrees vt lumine mentes,
Quas amor accendit numinis atque timor:
Naſcere, Sol, vt opus varium mirúmque tuentes,
Artificem pergant concelebrare, pij.
Naſcere, Sol, pigræ depellens otia noctis:
Occupet vt lucis viuida membra labor.
Aſt his, quos genuit proles væſana gigantum,
Qui cœlum contra bella ſuperba gerunt:
Et qui Cyclopum germani, ſæpe proteruo,
An ſit, quid, qualis ſit Deus, ore petunt:
Prorſus & eſſe negant: infandum! Naſcere: poſſint
Vt ſemel erroris monſtra videre ſui.
Alternâ videant motus requiete carentes:
Obliquum certo dum pede curris iter.

Orbibus in mediis cernant ſic eſſe locatum,
Vt reliquis, ceu Rex, induperare queas.
Ætheris & cœli tamen es terræque miniſter:
Dum lumen cunctis funditur orbe tuo.
Aurea frons, croceis & colla iubata capillis,
Aureus & toto ſparſus in ore decor,
Te neſcire luis monſtrant contagia craſſæ:
Fex elementa velut quæ grauiora premit.
Ignotóque licèt ſis ortus ſemine nobis:
Corpore de Quinto diceris eſſe ſatus.
Et caput obſcurâ quanquam ferrugine tingis,
Oráque nonnunquam faſcia nigra tegit:
Nulla tamen pateris diſpendia : maxima quanquam
Hinc hominum rebus damna venire putent:
Immenſis ſpatiis memorant te vincere terram:
Vix æquare duos cum videare pedes.
Vndecies ſenis & centum partibus orbis
Terrenus nam te dicitur eſſe minor.
Exultas ſurgens veluti ſponſúſque gigáſque,
Ad metam properans feruidiore rotâ.
Tu noctes abiens generas, rurſúmque reuertens
Adducis tecum continuáſque diem.
Sícque dies vario menſuræ pondere libras:
Promptiùs hic, aſt vt tardiùs, ille fluat.
Te peragente viam cœlo dilabitur annus:
Bis duo quem ducunt tempora, tótque vices.
Tu veteris ſtipas, reſeras ſed clauſtra recentis
Ordinis, hinc geminas cernis & inde fores.
Te veniente, venit cunctis animantibus ortus:
Interitus cunctis aſt abeunte redit.
Te veniente venit, te decedente recedit
Blandè peruadens corpora cuncta calor.

Per tua te voluens vestigia, mobilis vno
  Immotúsque, soles ire redire loco.
Si comes est Aries tibi Libraque, passibus æquis,
  Vt noctis, sic & tempora lucis eunt.
Ad Cancrum quando te vertis, longa dierum
  Linea porrigitur, sunt tenebræque breues.
Ad Caprum quando diuertis, parua dierum
  Linea contrahitur, sunt tenebræque graues.
Et terris scandens, quantò distantior exis:
  Percutitur tantò terra calore magis.
At si descendit terris vicinior Absis.
  Longius abscedit, qui fuit ante calor.
Te veniente niues fugiunt, & montibus humor
  Liquitur, hinc ruris gleba soluta tepet.
Aduentúsque tui prænuntia prodit hirundo,
  Eoas mutans sedibus Hesperiis.
Frigore clausa priùs tellus aperitur & æquor:
  Nauita tunc vndam sulcat, arator humum.
Plantæ gemmescunt: in florem se induit arbos,
  Frondosis gaudens luxuriare comis.
Tunc pecudum volucrúmque genus, pelagóque matantum
  Illo, quid sit amor, tempore scire petunt.
Sin longinquus abis, tellus & pontus & aër
  Frigora quàm vitæ sint inimica docent.
Nam loca quæ non visa tibi, propiora Bootæ,
  Infami glacie mortua tota rigent.
Terrarum lustras opera omnia: diceris inde
  Mundi oculus, somni nescius atque moræ:
Voce, tibi præco, cristatus & anteit ales:
  Vt stadij numeret signa notata tui.
Vnum de cunctis sequitur te: sydera nescit
  Cætera: naturæ non sociata suæ.

Et per te raucæ resonant æstate cicadæ:
Dum formica, legens farrea dona, sapit.
Per te durescit limus: sed cera liquescit,
Candentémque calor, non color hancce facit,
Vua calore tuo ducit matura colorem:
Atratur faciens sæpe viator iter.
Vixit in vmbroso tyro qui puluere, tandem
In Solem prodit patret vt aptus opus.
Te Rhodus ingenti quondam venerata Colosso
Clara licèt, docuit quàm malè sana foret.
Nam qui conspicuum te præbes omnibus, ecquid
Absenti veluti facta figura fuit?
Conspiceris multis: non omnia cernis & audis,
Cæcus vti, qui nil vidit, Homerus ait.
Hoc sibi Cunctipotens seruat. Seruire parata
Omnia tecum sunt illius imperio.
Niliacis regem, sibi nil, sed commoda cunctis
Quærentem, moris Sole referre fuit.
Niliacis tamen est nil stultius. Hi scarabæos
Dicebant animas Solis vbique vagas.
Surgentem te manè colunt plærique: cadentem
Non multi: sic est velle cuique suum.
Oceani non viuis aquâ: (vetus error vt infit)
Sustinet at te, quæ fecit agitque manus.
Ecquis equos agiles memoret, currúmque volantem
Opposito stellis qui solet ire modo?
Quis loca commemoret duodenis quę bis in horis,
Continuóque fugis, continuóque petis?
Quin etiam terrâ multis distans parasangis,
Hanc motu, influxu, luce fouere soles.
Suppositúmque nihil toti cognoscitur axi:
Quò soleant radij non penetrare tui.

Atque

Atque hæc tam firmis constanter legibus exples,
Vt natura habeat firmius ampla nihil.
Mortales quis enim tam lynceus extitit inter,
Dicat vt à metá te procul ire tuâ?
Aut quæ venatrix cœli solertia vidit
Te callem minimo transiliisse pilo?
Hinc Deus,(est cuius constantia firma,fidésque
Legibus æternis inuiolata viget.)
Non renuit robúrque tuum cursúmque referre,
Vt dicti monstret symbola certa sui.
Tardior es,fateor,gemino sufflamine factus,
Currentem cùm dux te stitit Isacides.
Regis & à morbo vali turi tessera quando
Est denos retrò linea versa gradus.
Et Solymæ tibi lux semel est erepta diurna,
Crux quando Christi nobile ferret onus.
At Phaethontæos quòd mendax Græcia casus
Iactitat,est vani fœtus id ingenij.
Attamen ingenio dicunt & mente valere,
Quos non auersis visere pergis equis.
Si quis at intentè nimiùm tibi fortè propinquet,
Sentiet hic ausus damna propinqua sui.
Æthiopum gens hoc habitans testatur in antris,
Dum diris ortum te petit assiduis.
Laudibus at celebrat,nitidum quum vespere crinem
Oceani refluis mergere tendis aquis.
Et temerè Solem ferri,casúque rotari
Iactabit ronchis turba canina suis?
Et ramenta vagum quæ voluit inane,ferentur
Dædaleum Solis constituisse globum?
Hoc sensus ratióque negat:sapientia namque
Nil anceps,errans,addubitánsve facit.

At qui liber agit quæ vult, nec quærit agendi
Extra se causas, quas bonus vnus habet.
Orbibus implicitos orbes Solémque creauit,
Vt summi testes numinis illa forent.
Qui, quoniam bonus est, bonitatis in omnia sparsos
Effundit latices fonte perenne suæ.
Qui quoniam sapiens vmbras sapientis vbique
Gnomonis spargi, quo moderatur, auet.
Quíque potens quoniam, sine limite roboris vllo
Roboris vt pateant vult monimenta sui.
Ille Deus, Deus ille sibi qui sufficit vnus,
Vno se diues, nullius auctus ope.
Dum non vlla foret tellus, iuga nulla, iugísque
Suppositæ valles, cunctáque nulla forent.
Atque foret nil, esse aliquid iussitque, dedítque,
Omnia sic nunc sunt quod fuit antè nihil.
Lux (operum primum, per quod, quæcunque videri
Fas oculis hominum, posse videre datur:
Est homini quâ nil ignotius, omnia quanquam
Declaret) soli cognita tota Deo.
Cùm non in certâ primùm statione maneret,
Solis, vt hanc ferret, facta quadriga fuit.
Instabilis triduò, stabilis pòst tempus in omne,
Solis lux pergit ire redire viâ.
Factorémque suum (licitum quam non sit adire)
Hæc semper lucem lux habitare docet.)
Mire opifex! Tibi materies, tibi forma, tibíque
Instrumenta, modus, fit tibi velle tuum.
Velle tuum manus ac digiti, solertia, causa
Impellens, operans, velle suprema tuum:
Materiam formis, formas adnectis eidem
Materiæ, varium sic generatur opus.

Hoc candens sublime, tegit quod cuncta, liquenti
  Crystallo veluti lamina ducta nitens,
Est speculi sensum nunquam fallentis adinstar,
  Mens vbi te clarè, sit nisi cæca, videt.
Sed te præcipuè Solis fax ignea monstrat,
  Qui, Solus quòd sit, non malè nomen habet.
Téque Deum clamat, non de quampluribus vnum,
  Sed solum: cui par, cui sociúmque nihil.
Téque Deum Dominúmq; suum veneratur & audit,
  Dum quod vis iussus nocte diéque facis.
Vno te celebrat surgénsque cubánsque tenore,
  Non verbis, sed te rebus vbique loquens.
Illum Maurus, Arabs intelligit, Indus vterque,
  Thrax, Scyta, Germanus, Sarmata, Gallus, Iber.
Quod facit ille tacens, sancti facitote loquentes:
  Dum facit impietas quod scelerata facit.
Non etenim penitus desit Titania pubes,
  Ausa Deum contra tollere dira caput.
Scire cupis quid sit componere Pelion Ossæ?
  Qualia sunt, eheu! tempora nostra vide.
Crimina criminibus cumulantur: pectore pulsus
  Euanescit amor numinis atque metus.
Excipe perpaucos, Pietatis & excipe nomen:
  Vix vbi sit pietas posse notare datur.
Pellit enim Solem caligo prophana diémque:
  Hinc scelerum surgunt agmina densa simul.
Propterea pœnas cœlo pendere minantur,
  Hinc aër, illinc Terra Fretúmque graues.
At tu Iustitiæ Sol, qui, vitalibus alis
  Æternæ solus dona salutis habes:
Sol, clypeúsque tegens sis nobis, Christe, calente
  Noxa die ne sit Solis vt vlla grauis.

Noxa nec vlla grauis, quando nox humida cœlo
Præcipitat: cui sit frigida Luna comes.
Sísque tuis præsto semper sub Sole, sub vmbra,
Æstibus & rapidis, imbribus & madidis.
Fac pateant aulæ sublimia tecta beatæ,
Solis vbi, Lunæ nullus & vsus erit.
Agnus vbi Sol sis, septeno lumine fulgens,
Dans iubar æternum viuificúmque tuis.
Interea fragiles dum spiritus induet artus,
In laudes totus soluar vbîque tuas.
Summe Deus, te nostra manus, te lingua loquetur:
Ter fœlix, gratum quod tibi carmen erit.

Sylua II. de Vmbrâ.

DIcere nil possis leuius vel vanius vmbris:
Certius ast vmbris vtiliúsque nihil.
Corporeas homini dant vmbræ nosse figuras,
Siue solum studeat noscere, siue polum.
Vmbra docet varios Solis Lunæque labores:
Sydera metiri monstrat & vmbra simul.
Vmbra docet spatiis astrum quot distet ab astro:
Gentibus & qui sit perdocet vmbra situs.
Vmbra docet mensis partes & nosse diei:
Tempora partiri quattuor vmbra docet.
Vmbra docet quàm sint excelso vertice montes:
Et notum, quàm sint æquora lata facit.
Quantula sint nobis vmbræ corpuscula monstrant:
Vmbræ & quo volitant, nos volitare, modo.
Et monstrant cœlo delapsum, γνῶθι σεαυτόν:
Ingeminántque simul, Puluis & Vmbra sumus.
Ridiculos asini rixantès monstrat ob vmbram,
Vmbris plaudentes ridiculósque suis.

Gna-

Gnatones vmbras mensis non aduocat vllus:
Sponte tamen veniunt, namque pudore carent.
Pingitur Vmbra leui, viuo sed Imago colore:
Pictor, Imago, cadunt Vmbráque, sorte pari.
Maiores veniunt quando de montibus vmbræ,
Decedit præceps luce cadente dies.
Iuniperi, taxíque graues iuglandis & vmbræ:
Sæpe viatores attamen vmbra leuat.
Protegit æstiuos contra canis vmbra calores,
Arboreæ frondes dum pecus omne tegunt.
Non tamen est tardis factura nepotibus vmbram
Arbor opaca diu, deperitura breui.
Iunge patres natis, & auis adnecte nepotes,
Cum ramis truncos, noctis vt vmbra cadunt.
Omnia pallentes pariter mittentur ad vmbras:
Ipsa fugax tandem fiet & vmbra nihil.
Mobilis est semper: firmi nihil obtinet vmbra:
Vmbram qui sequitur, nil miser assequitur.
Vnus at est expers vmbræ, qui corpora & vmbras
Omnigenas generat solus agítque Deus.
Me fouet ille suâ nec inani sustinet vmbrâ,
Sed pulsis vmbris luce perenne beat.
Nos verò capiat: quò non edoctus ab vmbris:
Ast ab eo, qui, ὢν vnicus, ὄν͂ regit.
Nosse vias possim rectas & carpere cœli:
Adyta quò detur pòst penetrare mihi.

INDEX RERVM MEMORABILIVM.

Acuun-

B

Bac-

Animi

L

Male-

Py-

FINIS.

Errata. Prior numerus, notat Paginam, alter Diſtichon.

P. 15. diſtich. 1. lege. teſtudineo. ead. pag. diſtic. 5. erroribus. 17. 10. fronte. 35. 10 ſic viuitur. 49. cognoſcere difficillimũ 52. 3 non emendentur 59. 10 forte virile. 87. 8 verbis tradere 87. 7 cunctis damnoſa 92. 11 loco vicinus. 97. 11. ad vſque Capri? 110. 11 non verbis. 113. 6 Ῥιζοτόμων 117. 2 inſit 155. 1 de genere hoc 165. 6 ſenes 171. 7 forte ſere 193. 10 tibi fit cibus. 194. 1 Fabriciuſque foris 138. 10 teſtis cura graues tibi 204. 17 lætifici 220. 1 indiguum 223. 3 quódque mouetur 237. 9. Ter fœlix 252. 16. Adoleſcentis muti 278. Lurida. 279. 12 ſordibus addunt 285. 14 ima noctem Luna 288. 3 Largitur fluuiis 289. 3 ſuperûm bonis. ead. pag. 21. Venturis. 295. 11 natantum.

+

Crux Christi. 68.

Claui Christi. 70. 140

Spinea Christi corona p. 77. 169.

Crux piorum. 85.

Vana sanctitatis probatio p. 104.



